448
L 279

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

MicroChamber ©
Beschermd
KB

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

W 448
L 279

JAC. PERIZONII, ANT. F. ORATIONES DUAE DE PACE.

Quarum

Altera Factam Laudans, dicta eſt ex Auctoritate Publica Academici Senatus

A. d. VI. *Eidus Novemb.* CIƆ IƆC XCVII.

Altera ad Suadendam compoſita, quum Legati Principum & Populorum undique Hagam & Delphos jam conveniſſent ad tentandas Pacis Faciendae rationes.



LUGDUNI in BATAVIS,
Apud FREDERICUM HARINGIUM,
1698.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

JAC. PERIZONII
ORATIO
DE
FACTA
NUPER
PACE.

NVNQVAM alacritate Ego animi majore in concionem prodii, nunquam hilariorem in Auditoribus meis agnovi vultuum ſerenitatem, quam hodierno die, quo pariter mecum in hoc Minervae conveniſtis Sacrarium ad concelebrandam deſideratiſſimae Pacis ac Securitatis Publicae venuſtatem. Quoties antea Victorias noſtrorum Ducum ac militum virtute partas, aut expugnatas feliciter Vrbes ſitu atque arte munitiſſimas, ipſum immo VILHELMVM Britanniae Regnis, Deo volente, vocantibus ultro Populis, impoſitum, gaudentes ac triumphantes praedicavimus, gratulati tunc ſumus eo potiſſimum nomine, quod iſto rerum ſucceſſu videbamur tanto ſemper propius ad ſpem certae Pacis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

cis admoti, quae una innumeris eſt triumphis potior, & modo firma ſit ac bonae fidei, optima omnium rerum, quae in hac vitae mortalis ſtatione contingere hominibus ſolent. Quod ſi paulo tantum propior optatae adeo rei exſpectatio eam tunc nobis dare potuit laetitiam, quae ergo hujus temporis ſpecies, quae feſtivitas, quae exſultatio ſit, oportet? quo tandem votorum omnium adepti ſummam, quaelibet jam nunc Pacis bona, ſi minus ipſa re, jucundis tamen cogitationibus praecipimus, & quaſi manu injecta occupamus. Neque vero ullum eſt laetitiae genus, quod non omnes ubique Populi hiſce diebus declaraverint quam luculentiſſime; vix etiam genus eſt hominum per tot patriae noſtrae Vrbes, qui non ſummis ſe ſtudiis in publici effuderint gaudii ſocietatem. Et quis tandem foret tam perverſa praeditus mente, qui non multo malit ſalvus & incolumis tenere aliquando portum ſtationis tutae, quam incertis ſemper jactari turbarum fluctibus? Quis immo foret, qui non omnibus incedat laetitiis ac tripudiis, ubi ex atrociſſimis bellorum procellis, quae commune cunctis, longius aut propius, intentabant exitium, ſubito relatum ſe videt in ſecurum dulciſſimae Pacis ſinum? Nemo certe veſtrum, Auditores, tam infelici eſt genio natus, ut molli otio bellicos praeferat tumultus, aut obſtinato ad dimicandum animo prae dubiis illis Martii pulveris certaminibus placidam repudiet quietem. Omnes immo, omnes, intellecta ſatis tanti boni magnitudine palam nunc & ſerio triumphatis: omnes certatim concurritis ad teſtificandam quovis modo incredibilem laetitiam, profitentes ultro, fortunas veſtras nunc demum in ſolido locatas. Quid enim aliud declarabant nudius tertius ſurgentes in altum accenſorum paſſim ignium ſtru-

es?

es? quid volitantia per aërem jacula pene innumera, quae flammam ſpargebant, & rupta tandem ingenti evomebant crepitu? quid fragore immani undique tonantes balliſtae? Scilicet ut nuper admodum bello adhuc ardebant vicinae nobis regiones, ita noſtrae nunc urbes e contrario laetitia incenduntur, & jucundo Pacis fulgore ubique lucent: ut noviſſime horrifico & luctuoſo fremitu omnia apud alios aeneae concutiebant machinae, omnia terrore ſimul & ſtrage implebant, ita nos inter nil niſi laetum nunc ſonant, & immodicos hominum plauſus ac vociferationes ludicris diſtinguunt tonitrubus. O innocentiſſimam, o ſaluberrimam exuberantis gaudii materiam, ex aequo ortam foedere, nec ulla aliorum inſultatione, aut gemitu foedatam! O pulcherimam, o venuſtiſſimam illius diei fortunam, quo ſexus, aetas, ordo omnis, ſedibus ſuis excitus, in publicum ſe pariter effundebat, per totam feſto habitu diſcurrebat urbem, clamoribus laetis coelum implebat, hymnis denique & gratulationibus Deo Opt. Max. laudes per omnia cantabat templa. Quid vero? Sola an Academia in celeberrima hac Pacis ſolennitate mutam aget perſonam, & otioſa ſpectabit tantum, quicquid alii ad ornandam ejus dignitatem ac gratiam in medium contulerint, quaſi nihil interſit illius, perpetuis utrum turbis conflictetur hic orbis terrarum, an tranquillo tandem fruatur otio? Ne illud ſirit Diva Pallas, Tutelare hujus loci Decus ac Praeſidium; quam praecipuum Pacis inſigne, & ſimul victus humani adjumentum, protuliſſe olim primam, tradiderunt Græci, quam prae caeteris PACIFERAE elogio Romani ſuis quoque in Nummis ornarunt. Quid? quod inter armorum ſtrepitum Ejus artes, & quicquid eſt liberalium diſciplinarum, ſilentio ac ſitu ſepul-

tum ferme jacet, atque ipſe hujus Athenaei ſplendor otio ſqualet & ſolitudine? quae nitent contra ea, vigentque & florent denuo, ſimulac pacata rebus redit facies.

Agite ergo, Auditores, adeſte Paci, & mecum, qui publicam Academici Senatus hic ſuſtineo perſonam, recolite memoriam ſuperioris temporis. Venite & videte, quae hiſce diebus bona benigniſſime in nos contulerit Deus. Meditamini mecum eorum magnitudinem, & jucunda jam comparatione Belli mala iis opponite. Non decrevi equidem, res laetas & fauſtiſſimi ominis horam conſpurcare aut conſumere commemorandis praeſertim triſtibus, ac vulneribus praeteriti temporis importuna ſedulitate potiſſimum repraeſentandis. Non poſſum tamen, quin revocem vobis in mentem, quae non quidem paſſi eſtis ipſi, ſed quae Martius ille furor edere ubivis ſolet inhumanae prorſus truculentiae exempla, tantum, ut illa e contrario manifeſtius illuſtrent ſuaviſſimas Pacis delicias, & vos certius ex eo agnoſcatis, laudetiſque etiam ipſi, veſtras beatioris jam vitae fortunas.

Bellum, Auditores, ſi recta rem ratione reputaveritis, nihil reperietis eſſe aliud, quam belluini generis rabiem, ex avaritia ortam, qua homines non contenti rebus ſuis, in aliorum involant juſti prorſus tituli poſſeſſiones. Ignoravit hoc malum, ſi non omnia Poëtae fingunt, illa ultimae antiquitatis Aurea aetas. Ferrea demum cum caeteris illud edidit ſceleribus, & ſuo tandem ornavit etiam jure: Scilicet ut recte atque ordine per vim & ſaevitiam graſſari cenſeantur, qui occupare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

pare aliena decrerunt. Horum certe ſeculorum ea jam eſt ratio, ut qui maxime iſtarum belli artium periti ſunt & prompti, ſummis ubique in coelum tollantur laudibus, nec fortes tantum habeantur, ſed & digniſſimi, qui populos imperio regant. Quin immo inhumanum ſaepe ſcelus, inprimis ſi etiam ſit felix, tanquam res bene geſta, ſpecioſo Virtutis titulo ad poſteros quoque propagatur, & Nobilitatem, quae ſane apud nos omnis ex bello eſt, auctoribus ſuis conciliat.

Hac itaque mercede plus ſatis irritati jam olim Reges & Populi, quicquid contingere poſſunt, rapiunt plerique, & gloriae ſibi ducunt, ad imperium Orbis terrarum hac via contendere. Prae reliquis vero Galli, ferme dixerim, in umbilico Chriſtianae Europae quaſi de induſtria attrectandis aliorum finibus ab ipſa rerum natura collocati, imaginarium illud univerſae dominationis decus improbo conatu dudum affectavere, ſive iſthoc ſitu ſtimulati tam oportuno, ſive occaſione ſeneſcentis pridem Hiſpanae potentiae, quae ſuperiore ſeculo ſub Carolo V. & Philippo II. omnium in ſe converterat ora atque animos, ſeu denique ipſa excitati gentis indole, quae ut primas ſibi arrogat ingenii atque elegantiae, ita praecipuam quoque fortunam publice privatimque ſuo quaſi jure ſibi comparare ſemper nititur. Nec abhorret ab iſto nationis ſpiritu Regis ipſius animus, quem magnis ſane virtutibus imperio totius Europae parem pleriſque viſum, ſola certe Gallia, quantumvis late jam patens, neutiquam capit. Hic ergo valida ſatis claſſe, & ingenti ſuccinctus exercitu, magna enimvero agitabat, propagare fines regni, triumphatis gentibus alienigenis imperare tributa, leges parendi dicere, & ſuum impo-

nere jugum; anxiis omnibus & exſpectatione ſuſpenſis, in quos tandem incubitura eſſet primos concepta haec in Galliis procella, ad obterendos ſimul complures ſatis ſuperque idonea. Et habebat Britanniae tunc regnatorem Jacobum, fatali quadam, ut leviſſime dicam, imprudentia ſibi obſecundantem in omnibus, quae in reliquos meditabatur Principes, quorum tamen haud dubie etiam Jacobus ipſe futurus denique erat quaſi legitima quaedam acceſſio. Et quid tandem tam glorioſae gentis, tanti ipſe animi Rex, tot copiis terreſtribus ac navalibus ſubnixus, pugnaciſſimis inſuper militibus ducibuſque acerrimis affatim inſtructus, nec à pecunia deſtitutus, non ab armis, non a tormentis, quid ergo ille non profligaſſet ſtatim, non confeciſſet brevi? quos ille populos non oppreſſiſſet, non domuiſſet penitus, bello victos, ſi Britanniam habuiſſet, potentiſsimam mari inſulam, ſuis expeditionibus faventem & quaſi ſuccenturiatam? Sed dum arma inferebat Germaniae, cujus tunc nudum oſtentabat latus concuſſa gravi motu Hungaria, interim noſter ille Atlas ſalutis publicae, VILHELMVS ARAVSIACVS, Britanniam, implorantibus eum ultro populis ad religionis ſuae ac libertatis tutelam, extorſit facile Jacobo, nimia certe iſtic atque inſolita agitanti. Aſt ita etiam Ludovicus ſpe ſubſidii, quam habebat unicam, depulſus, unde auxilium ſibi promiſerat, exitium invenit. Caeterum iſto utrimque veluti ſydere mota eſt confeſtim funeſta multiplicis hujus belli tempeſtas, quae terra marique detonuit horribilem in modum, & ſua ſparſit incendia in Galliam, Germaniam, Belgicam, Britanniam, Hiberniam, Hiſpaniam denique & Italiam. Coierant enim omnes hae gentes in unum foedus, & conſociaverant ſe contra invaleſcentem immane quantum

tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

tum Gallorum potentiam. Nam quid tandem liberum in Europa, quid ſui manſurum eſſet juris, quid immo non obnoxium foret & ſervum plane, ſi ad unum deveniret populum omnium rerum poteſtas & arbitrium, caeterique ad illius nutum ora ſua obvertere, trepidare, ac ſe conformare continuo deberent?

Non jam memorabo hic ſingulatim & per partes, quae belli fuerit fortuna, nec vobis, opinor, audire ſingula operae foret pretium. Id tantum breviter & ſummatim dicam, triumphos ferme triumphis, clades cladibus penſatas: ſatis gloriae utrimque, plus ſatis acceptum quoque vulnerum: ſuperiores quidem variis ex proeliis diſceſſiſſe Gallos, ſed plerumque Cadmeam illis contigiſſe victoriam, &, ſi vera velint, ſpecioſiorem tantum cladem. Nam quid aliud eſt, quidve aliud appellari meretur, coegiſſe quidem terga tandem vertere hoſtes ſuos, ſed paris ferme, immo majoris ſaepe, ſui ſanguinis pretio? Quae porro illa eſt victoria? quam inutilis? quam pene exitioſa? quae vincendo debilitat gentem, quae aerarium exhaurit funditus, quae non militum, ſed cohortium, ſed legionum integrarum requirit ſupplementa, quae denique victorem populum nullius agri, nullius oppidi, acceſſione reddit locupletiorem. At ſi res noſtras jam contra conferamus, nonne Virtus & Fortuna Magni VILHELMI per ſe ad Boinam conjicientis Jacobum in fugam, & dein Sanruthaeum per Illuſtrem Athlonium caedentis ad Limericam, modo hanc ipſam, modo Dublinium, victoriarum praeſentem tulit fructum? nonne immo omnem continuo Hiberniam in ſuam redegit ditionem? Complures etiam, neque id inficias imus, occuparunt Galli, & eripuerunt foederatis Vrbes, ſed temporibus plerumque inſidiantes, ſed quarum praeci-

cipuam ac validiſſimam, Namurcum, mox vi pugnando receperunt noſtri, quam nunquam illi bello recipi, nunquam vinci, poſſe temere jactaverant. Sed & mari ſemel feliciter ſatis rem geſſerunt hoſtes, & male mulcatam tunc quidem dimiſerunt Batavorum claſſem, ſociorum deſtitutam ope, pugnam e proximo ſpectantium. At mox viciſſim illi, annitentibus tunc Britannis, toto exturbati Oceano, & in littus ejecti, ſuarum incendia navium de terra aſpexerunt, nec unquam poſtea inſtruendae contra foederatos claſſi animum adjicere, aut navalis proelii tentare fortunam auſi, maluerunt bellum in latrocinia ſpargere, & turbatis navigandi commerciis praedonum more hinc inde maria ſolum infeſtare & inſulas.

Caeterum, dum ita ſatis quidem damnorum, ſed noſtris tantum dederunt nautis & mercatoribus, interim vicinas nobis terras, in quas ſedem & vim belli contulerant praecipuam, omni ſane modo habuerunt miſerrimas. Nulla etenim ſunt armorum mala, quae non ſubierint ſaepius, quae non ſuſtinuerint diu, cum Germani ad Rhenum & Nicrum, tum Belgae ad Moſam & Sabin, fluvios utroſque Chriſtianorum clade multiplici jam notiores, quam Phaſis olim aut Scamander expeditionibus Graecorum. Nam quid memorem exuſtas iſtic paſſim ſegetes, dejecta ruſticorum tuguria, praedas pecorum abactas, ſpoliatos aut abductos ipſos homines? Vulgaria haec ſunt, & uſitata dudum, atque ideo non animadvertuntur. Graviora ſint oportet, quae hujus commonſtrent diritatem belli: ampliſſimos videlicet terrarum tractus jacere deſertos & cultu humano vacuos, urbes integras, ſatis exornatas antea & opulentas, in cineres nunc & rudera, in luſtra & latibula ferarum, redactas, infeſtos ignes templis quoque

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

que & ſacrariis illatos, nudatos etiam Principum manes, jura ubique omnia, divina ſimul humanaque, prorſus polluta. Haec illa ſunt ſcelera, quibus efferata Martis indoles etiam inter Chriſtianos quoddam quaſi jus jam dedit. Haec ſunt armorum flagitia, quibus hodie militum imbuuntur tirocinia. O duriorem ipſo ſuo ferro Bellonae Genium! O foedos, o truculentos ſeculi hujus plus quam ferrei mores, qui non hoſtibus, non injuriis, ſed aequitati, ſed ipſi humanitati, ſed virtutibus omnibus bellum indixiſſe videntur acerrimum, per quos omni lege, omni freno, ſolutus plane gladius promiſcue in quoſlibet bacchatur! Cogitate mihi, Auditores, laetiſſimam nuper Rheni ſpeciem, & florentiſſimas per ejus ripam ſparſas tunc paſſim urbes. At quam triſtem nunc ſolitudinem, quam horridum undique ſqualorem, omnia iſtic oſtentant? Urbium veſtigia, urbium buſta abunde videas, vix urbes ipſas, vix moenia, niſi ſi quae multo dudum opere & milite fuerint firmata. Ab Rheno jam paululum digreſſi, ſpectate, ſultis, amoeniſſimam antea Heidelbergam, illam Muſarum quondam ſedem jucundiſſimam, illam verae Religionis fidiſſimam nutricem. Quid? quam deformes illa ſui nuper ſplendoris reliquias viſentibus nunc offert? quam barbara, quam dira, infandae prorſus inhumanitatis oſtentat monumenta? ſed quae perpetua potius ſepeliantur oblivione, quam per me in cujuſquam revocentur memoriam. Circumjectam vero in regionem, veteris Campaniae ſemper aemulam, ſi conjiciatis porro oculos, vix fidem iis habebitis. Ita nihil pulcherrimae nuper plagae agnoſcetis: nihil iſtic amoenum, nihil frugiferum amplius, omnia e contrario vaſta, omnia reperietis foeda & inculta. Jam de Hominibus ipſis quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

dicam per omnem ferme melioris Germaniae tractum? Caeſi ſunt partim crudelem in modum: plerique ſolum vertere coacti errant etiamdum extorres, ſuarumque miſeranda circumferunt fortunarum naufragia, alienae jam opis indigi: pauci, quos reliquos fecit militaris truculentia, miſeriorem inter quaelibet calamitatum contumeliarumque ludibria vitam traxere, ne in ipſis quidem cellis aut ſubterraneis ſuorum penatium cryptis ſatis tuti aut vexationum immunes. Quid videtur Auditores? Ita, ita graſſari, exuto pene omni humanitatis ſenſu, ſolent arma: ea gladiorum nunc eſt licentia, ea immanitas militum, quibus, ſimulac datos ſibi qualeſcunque accepere hoſtes, nulla plerumque injuria ipſis cognitos, non aetas, non ſexus, non virtus, non dignitas, non eorundem ſocietas ſacrorum, non humanarum rerum viciſſitudo, miſerationem affert ullam. Linguam habent & figuram hominum, quin & verbis Chriſtianam illi profitentur religionem, ſed rebus ipſis efferatiores vivunt, quam ultimae barbariei Gentes, quam ipſae in ſaltibus ſuis Belluae. Jura certe ſibi negant ſcripta, aequum vero bonumque quid ſit, ignorant penitus, & interdum amicos aeque ac hoſtes promiſcuis onerant cladibus. In quaequae incidunt, aut verius dicam impinguntur, rapinis ea exhauriunt, conſpurcant libidine, incendiis foedant, ſepeliunt denique ruinis.

Neque vero nunc ſolum, ſed jam olim, etiam priſcis illis ſeculis, crudelis adeo bellandi fuit ratio, quaſi iſthaec Martis ſacra aliter non conſtent, niſi omnem excedant ſaeviendi, aut certe impleant prorſus, modum? Nam quid fingi, quid excogitari poteſt deteſtabilius? quam, quod in legem dudum & ar-

tem

tem bellandi praecipuam abiit: ſuos ipſorum fines igni ferroque vaſtare, tantum, ut hoſtibus ſterile ac nudum objiciant ſolum : inflammare proprias Vrbes, ne relinquant illis adventantibus quidquam, quo tueri ſe aut ſuſtentare queant. Quid enim aliud in Aſia quondam egerunt Perſae, exſpectantes Alexandrum? Nonne ultro tunc ipſi Ciliciam ſuam depopulabantur, quam ab illius populationibus vindicare debuiſſent? Quid? Pompejus Epiron & Theſſaliam, qua tandem gentis culpa, qua quaeſo cauſa, ita exſcindebat olim, perdens conſulto iſtic omnia, quae uſui hominibus eſſe poterant? Nonne unica haec fuit, ne uti iis Caeſar, neu exercitum alere poſſet? Id vero quid eſt aliud, quam, ſi vera volumus, per Amicorum latus Hoſtem incerto petere ictu, &, ut eum arceas, vel ſaltem incommodes, illos prius diriſſimis affligere modis? Verum omnem ſuperat fidem, quod Vir tamen fide digniſſimus, Bilibaldus Pirkheimerus, toga potiſſimum, ſed & ſago clarus, ante hos ducentos ferme annos, ſe in Helveticis Maximiliani I. bellis vidiſſe affirmat, & quondam non ſine horrore ſummo apud ipſum legiſſe memini. Tranſibat ille cum copiis, quas ducebat Imperatori, per oppidulum, interfectis fugatiſve ejus incolis, deſertum penitus atque exuſtum, in quo tamen duae ſupererant vetulae, quae XL. ferme parvulorum utriuſque ſexus quaſi pecorum gregem ante ſe in proximum loco pratum agebant, ubi miſerandum illud agmen inedia & macie confectum in genua continuo prolabebatur, herbaſque manibus evellebat, ut miſerrimas vitae reliquias earum eſu utcunque ſuſtentaret, vel potius mortem in paucos tantum dies differret. Nam ſingulis pene diebus aliquot ex iis fame defecerant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

brevique ſpatio redacti fuerant alterius cibi inopia ad hunc numerum, quum paulo ante etiam duplo fuiſſent plures. Quis talia fando, talia etiam cogitando, temperet a lachrymis? Quis non, ea audiens, deteſtetur bellum, furorem ejus horreat atque abominetur, ſaevientis longe etiam crudelius in illos, quos gladio ſubtraxit, quam quos ſubjecit? Quis non quavis jam pace, modo non iniquiſſima, permutatam lubentiſſime velit tam diram armorum rabiem, qualem qui oculis nunquam uſurpavit, animis concipere aut credere vix poſſit?

Sed dicetis, opinor, nihil ejuſmodi metuendum fuiſſe Vobis, qui hujus belli tanquam alieni mala tantum audiviſtis, vidiſtis nulla, nulla ferme ſenſiſtis ipſi. Quid vero, Auditores? Non cogitatis ergo, Bellum eſſe, de quo agimus? Bellum eſſe, in quo, ſtrictis ſemel gladiis, quod cuiquam evenit, id enimvero evenire poſſit omnibus? cujus initiis neutiquam reſpondeant ſemper exitus, ſed in quo multa vehat ſubinde veſper ſerus incurrentia ex tranſverſo, quae minime fuerant exſpectata prius? Nam quid tandem eſt rerum humanarum magis incertum, quorſum evadat? quid magis anceps, & ſecuritati magis contrarium? quam deſultoria illa bellicae fortunae varietas. Proponite vobis veteres, quaeſo, Carthaginienſes. Quam procul & illi ab ſua Africa, quam feliciter diu contra Romanos bellum ductu Hannibalis geſſerunt? Quam nulla prorſus angebantur tunc ſollicitudine, quum arma ipſorum per Europam quaſi peregrinarentur, quum principem gentium Populum aliis ſuper alias afficerent cladibus, quum Italiam paſſim urerent, eamque tantum non totam ſuis jam haberent imperiis ſubjectam, & dicto audientem? Quid? Num minus tamen & illi ſuis quoque portis aliquanto poſt obequitantem viderunt hoſtem, ſuiſque imminentem cervicibus? Num ideo

minus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

minus in ſua dein Africa Scipionem experti ſunt, Italiae vulnera vindicantem? An ergo non liquido ſatis probavit rerum eventus, dediſſe eos bello, quod longe quidem ab domo fecerunt Romanis, Remp. tamen totam in diſcrimen maximum, iviſſe in ancipitem imperii ſervitiique aleam, & huic ad extremum fuiſſe longe propiores, quam ſummae rerum fuerant prius. Si plura rei tam certae, & quotidiano pene firmatae uſu, putarem velle vos exempla, repeterem ſane ex Hiſtoriis Graecorum Lacedaemonios Atticae incubantes aut Boeotiae, narrarem vobis Antiochum illum Magnum, Aetolis ſe jungentem in Graecia ad expellendos inde Romanos, memorarem Mithridaten Ponticum, Graeciae & ipſum inhaerentem viſceribus. Omnes enim illi exteris oris, in quibus bellum ſecundis coeperant initiis, detracti denique vel excuſſi, ad ſua ab ſtrage & populatione invicem tuenda citato reverti curſu debuerunt, atque ita ſuam ipſorum patriam, quo hoſtem penetraturum nunquam, ſibi perſuaſerant, maximis accepere tandem motibus concuſſam. Sed neque vos deſideratis rem clariſſimam pluribus illuſtrari exemplorum documentis, neque vero opus eſt, in eo, quod per Dei benignitatem non accidit, longius immorari, praeſertim, quum, ſi maxime nihil bellicarum calamitatum veſtros intra fines exceperitis, alia tamen abunde ſint in promptu, in quibus importunitatem Martis perſentiſcere & ipſi ſatis ſuperque potuiſtis.

Quid enim? Annon jacuit penitus Mercatura, quae noſtrae tamen Reip. nervus eſt potiſſimus? Nam quot captae ſunt identidem naves ab hoſtibus, quot claſſes naviculatorum diſſipatae, dum impune lembi illorum omnia perſultabant maria, omnia agebant ferebantque, noſtras majoris molis roſtratas agilitate ſua facile eluden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

dentes? Portus immo noſtros, ipſa Moſae & Flevi oſtia, quibus ſpiritum pene & vitam ducimus, catervatim illi obſidebant, ut navigaret vix quiſquam amplius, quin periculis ſe exponeret certiſſimis. Inde ergo dubia jam erat negotiatoribus ſua cuique poſſeſſio, & vacillabat in foro fides; quippe quum neutiquam poſſint multi in una civitate fortunas ſuas atque opes amittere, quin alios ſecum in eandem trahant calamitatem, & quam plurimorum ſimul rationes conturbent. At qui jam praediorum aut pecuniarum fructibus vitae impendia tolerabant, quot, obſecro, & illi premebantur rerum anguſtiis? quam gravibus exhauriebantur tributis? quam exigua, & pene nulla, ſuis ex bonis humanae neceſſitatis ſubſidia percipiebant? Effundere debebant tantum non omnia ad ſublevandam ſaepius aerarii inopiam. Neque enim plebs ſufficiebat amplius tot oneribus quotannis gliſcentibus. Reſp. autem ipſa grande jam conflaverat aes alienum, ſub quo parum aberat, quin penitus ſubſideret. Et tamen cogi undecunque debebant pecuniae in ſtipendia militum, noſtrorum ſimul atque exterorum, in belli terreſtris maritimique impenſas, in ſubvehendos exercitibus commeatus: Nimirum, ut acerbae illae armorum populationes longe ab noſtris prohiberentur finibus, &, dum foris bellum gerebatur, domi ſaltem ſecure poſſemus & pacate vitam agere.

Et quis non lubens ſuas opes, maximam certe partem, in publicum conferret, ut ne hoſtem ſuis in moenibus videat, ſuiſve experiatur in penatibus? Romanos legimus ultro quondam indixiſſe ſibi pulcherrimum adjuvandae Reip. certamen, in quo Senatores ipſi reliquerint ſibi nihil, praeter aeris ſignati quina millia, & unicam argenti libram. Exiſtimabant videlicet Viri Prudentiſſimi, Remp. incolumem facile privatis res ſuas praeſtare

ſtare ſalvas, aſt ea prodita & oppreſſa ſingulos ſibi nequidquam ſervare ſua, quippe quae cum Patria concidant una, neceſſe ſit. Neque vero veſtram ejuſdem generis laudem, Batavi Cives, ignorabit ſera poſteritas, qui, tam diutino & ſumptuoſo licet impliciti bello, nunquam tamen paſſi eſtis nummorum penuria laborare penitus anhelans aerarium; quin immo ad omnia Procerum edicta ſtudioſe ſemper ſuccurriſtis Reip. neceſſitatibus, conferendis non tantum ex cenſu ſine tumultu aut obmurmuratione ulla tributis ſane quam graviſſimis, ſed & reſidua vobis pecunia leviſſimo trientis foenore identidem patriae eroganda. Quo etiam factum, ut quum alibi maxima jam dudum rei nummariae eſſet difficultas, apud Vos ea publice ſemper abundaverit, neque Gallicam ſive potentiam, ſive pervicaciam, quidquam aliud in hoc bello magis aequiparaverit vel etiam poſt ſe reliquerit, quam aſſidua illa veſtrae in publicum liberalitatis conſtantia. O ſi temporis id ratio nunc permitteret, quibus Ego veſtram hanc virtutem praeconiis ornarem, & in coelum uſque efferrem? Virtutem enimvero, quâ non modo hujus ſeculi, ſed ipſius exſuperaſtis antiquitatis gloriam: qua Patriam veſtram foederataſque gentes, vindicaſtis ab interitu, qua voſmetipſos rebus ſecundis, &, quam nunc laeti celebratis, Publicae ſervaſtis PACI.

Neque enim aliud quidquam bello quaeſiviſtis, nihil in ſuſcipiendo eo, nihil in gerendo ſpectaviſtis, niſi unum hoc, ut firma vobis eſſent & ſalva ſemper ſuaviſſima Pacis bona, quippe quibus nihil melius, nihil praeſtantius, dediſſe generi humano Deum Opt. Max. vere exiſtimatis. Et habetis in eo non reliquos tantum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

homines, ſed & ipſum illum Deum vobis prorſus aſſentientem. Ille enim ut nihil frequentius ac diſertius hominibus praecipit, quam ut pacem inter ſe colant, ita nullo ſe, ſive beneficii, ſive exempli declarandi, elogio crebrius per omnia pene oraculorum ſuorum volumina deſignat, quam quo *Deum* ſe appellat *Pacis*. Nihil etiam antiquius duxit aut prius, quod Populo ſuo in his terris agenti promitteret, quam daturum ſe in finibus & temporibus ipſius *Pacem* cum Libertate conjunctam, & fore, ut vitae ſaturi ad majores ſuos quiſque *in pace* abeant. Quid vero dicam de eo, quod ſanctiſſimum illud Numen nequaquam ſibi Aedem a Davide voluit exſtrui, tantum, quia in Martio ille & ſanguinolento pulvere aetatem egerat, licet *bella Dei* eſſent, quae gereret, atque inſuper ad cordis divini voluntatem ſuam conformaſſet vitam? Quid item de eo, quod illam non niſi ab *Salomone*, Pacifici Nominis Principe, exaedificari voluit, quem ipſe hoc *Pacis* Nomen ferre juſſerat, & cujus regno eam largiturus erat perpetuam? Quid immo aliud de eo dicam, Auditores, quam Pacem ergo majeſtate Dei eſſe digniſſimam, gratiſſimam ejus ſacris, ſanctimoniae proximam? Pacem eſſe, cujus ſecta quantopere ſibi placeat, Coeleſte Numen illuſtriſſimo hoc omnium argumento declaratum nobis dare voluerit. Tanto autem Dei ipſius judicio approbatam, quo jam in pretio nobis eſſe oportebat? quum inſuper etiam noſtrarum illa ſit rerum ſumma, felicitatis faſtigium, vitae delicium atque ornamentum, cujus ex pyxide non mala, ut ex illa Pandorae, ſed bona quaelibet in humanam diffunduntur gentem. Nam cujus tandem generis excogitari poſſunt Bona, quae in nos non pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

proficiſcantur à Pace? An illa, quae dicuntur *Animi*? Quo igitur loco nobis erit, Auditores, ut jam de cultu ingenii taceam Paci proprio, beatiſſima illa pectoris Tranquillitas, in qua certe Philoſophorum plerique ſummum olim collocavere Bonum? Et ſane eam qui ignorant, qui è contrario terroribus agitantur continuis, & trepido conturbant vitam metu, illos vero, ecquis eſt, qui dicere felices queat, & non potius duriſſima judicet fatorum lege natos? Aſt ea Bellorum perpetua jam eſt ratio. Iſtic enim omnia ſolliciti ſunt ſemper timoris plena, omnia diu noctuque quaſi ſub proximo verſantur ictu, praeſertim, ubi hoſtis in propinquo agit, ferro in nos accinctus. Pax contra otioſe in utramvis ſinit dormire aurem: permittit cuique ſecuram rerum ſuarum domi foriſque tutelam: largitur ſingulis ſua quovis tempore ſine formidine aut tumultu obire officia. Quin illam demum, & qui eam meditantur, ut ſapientiſſimus dixit Hominum Regumque, *ſequitur Gaudium*, quod Tranquillitatis eſt ſummae, nec cadit in anxiam mentem. Quid vero *Corpus*? nonne & illud in Pace potiſſimum curatur molliter? Ea certe eſt, quae non modo omnem rerum ad cultum vitae faciliorem pertinentium copiam nobis parit & praebet, ſed etiam ex remotiſſimis regionibus, atque alio calentibus Sole, praeſentiſſima malorum remedia, calculos, ligna, radices, herbas, valetudini noſtrae deportat. Quin nullos Illa truncis artubus facit deformes aut debiles, nullos exploſis perfoſſisve luminibus reddit coecos, nullos ſubita conſternatione aut terrore panico attonitos dejectoſque diuturnis implicat & conſumit morbis, quibus mox vires, corpus, vitam denique amittant. Monumenta haec quoque ſunt, quae Bellona ſibi excitat, & relinquit etiam poſt ſe omnium expoſita oculis: Haec ſpolia, hos titulos, illa demum oſtentat: Talia ſunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

quae ſuis impertitur cultoribus proemia. Et reperiuntur adhuc homines, qui ſalutarem omnibus aſpernantes Pacem, in tam trucis ſe Divae fidem vel ipſi dedere, vel integras prodere gentes ſuae curae permiſſas ſuſtinent?

Habetis ita, Auditores, quaſi praetereundo aſſerta Paci praecipua, cum Animi, tum Corporis, Bona. Quid jam illa *Fortunae*, quae ſuperſunt? Ea vero, ſatis ſcio, neminem fore mentis adeo expertem, qui denegare Paci auſit. Quicquid enim Terra, quicquid Mare, quascunque opes benigniſſima rerum Natura in uſum fructumque nobis ſuggerit, eas utique omnes ſuo congeſtas ſinu Illa demum copioſe in nos effundit. Vbi illa blandum ſpirat & viget, ibi cuncta confeſtim quaſi ſalubri afflantur aura: quae bello labant, mox confirmata reſtituuntur in integrum: quae ſqualebant prius ſitu & incultu, effloreſcunt continuo, & in nitorem redeunt: quae ruinis jacebant condita, eriguntur & priſtinam recipiunt ſpeciem. Alia redit facies agris, redit oppidis, totis immo gentibus. Terra, haud amplius deſerta ac infelicibus ſpinis obſita, reddit colonis, quos deſiderant fructus. Ruſtici, quae conſevere, metunt ipſi, nec jam militibus, ſed ſibi. Incolae Vrbium, qui ſaepe vix pedem portis efferre audebant, tuto nunc rus commeant, ſi quando ſatias eos cepit rerum urbanarum, aut peregrinantur in exteras etiam oras, ubi viae erant antea hoſtium excurſionibus infeſtae. Per integras Gentes non ſecurum modo otium, ſed annonae ubertas, ſed rerum affluentia, ſed novum quoddam opulentiæ lumen, velut e tenebris emergens, ubique exoritur, ſuoſque in omne hominum genus ſpargit radios. Breviter, & verbo ut dicam, Aureum agitur ſeculum, ubi ferrea jacet Bellona ſepulta, vel exſtincta penitus, atque alma Pax regnum ſola obtinet, &

ſua omnibus bona liberaliter utenda fruenda largitur.

Sed communia videbuntur forſan, quae dico, Auditores, & pene tralaticia, licet magnifica vere ſint, & luculenta: quid ergo illa, quae jam ſequuntur, & quae certe negare non poteſtis ad veſtram propius ſpectare Remp? Habebitis liberos nunc terra marique commeatus, qui tantum non undique antea etiam vobis erant occluſi. Navigationi, quae conquieſcebat propemodum, patebit jam non Oceanus tantum, ſed Mediterraneum quoque Pelagus. Commercia quam plurimos gentium diverſarum homines, ut ſolebant, veſtros iterum in portus una conducent, & cujuſque alterius regionis ad vos deferent commoda: complura etiam, quae vel habebitis ipſi, vel acceperitis aliunde majore copiâ, pretioſiſſimis ultimi Orientis atque Occidentis mercibus commutabunt, nec ulla amplius metuent pericula, niſi maris & ventorum. Ipſa haec Vrbs ſuos denuo pannos frequentius exportabit, mittetque non in omnes modo angulos Europae, ſed & utroſque ad Indos. Magna juventutis veſtrae pars, quam vindicaverant ſibi bella, ſuſpenſis jam Marti armis, ad pacatos redibit labores, & majore ſuo cum fructu Minervae deinceps operabitur vel Mercurio. Remittentur etiam vobis minuenturve ſenſim tributa ac vectigalia, quæ pene immenſa, ſed quae tolerandis belli ſumptibus erant prorſus neceſſaria.

Quid tandem hoc ipſum eruditae Palladis ſacrarium, praecipuum hujus civitatis ornamentum, ac totius Reip. decus, quantum, obſecro vos, amiſit ſplendoris hoc bello? quantum gloriae? quantum priſtini concurſus? quantum denique eſt, quod pace jam facta ſibi rediturum auguratur? Nam ubi horridus miles in pretio eſt, negliguntur ferme literarum cultores: quan-

do lituorum tubarumque clangore omnia perſonant, tum non Leges tantum & Jura, ſed neque Muſarum audiuntur cantus. Innocuae hae Virgines, furente Bellona, in ſitu ſedent & ſqualore, quaſi Vetulae quaedam, pannis anniſque obſitae, neque eſt fere quiſquam, qui reſpicere eas, nedum ſedulo cultu proſequi ſuſtineat. At ſimulac certiſſima illa humaniorum artium peſtis ac pernicies Jani jam templo latet incluſa, tum vero prodeunt confeſtim, deterſa ſibi triſti illuvie, ex ſolitudine rurſus in lucem hominum, volitant paſſim ſereniore jam habitu per ora famae, concurſus aemulantium cient, & devota ſibi pectora aureo irrigant ſcientiarum imbre. O laeta ergo haec, ô fauſta tempora! quibus inoffenſo pede dabitur iterum decurrere pulcherrima doctrinarum ſpatia cum flore noſtrorum juvenum: quibus ingenia eorum in omnem iſtic formabuntur virtutem ac ſapientiam, liberalibuſque diſciplinis rite inſtruentur ad cujuſlibet melioris fortunae cultum: quibus immo ita expolientur vel maxime illi, qui quondam ad clavum ſedebunt Reip. ut peritia ſua non modo ingruenti jam ſubveniant tempeſtati, ſed & conſulendo in longitudinem provideant, ne quid illa capiat detrimenti. Quis non vel ſolo hoc nomine etiam proſperrimis bellis longe anteferat ſalutarem adeo pacem? quis non multo malit iſta mercede Patriam videre redimitam oleaginis, quam laureis onuſtam?

Quapropter quum iſtis jam inſignibus ornatam habeamus hanc Remp. quum depoſitis nunc ſagis redierit illa tandem ad togas, quid inhibebit nos amplius, quo minus ſecundis jam ominibus praeludamus felicitati noſtrae, ac die tam bono bona dicamus verba Paci, tantum quod quaſi ab inferis denuo emergenti? Quin eat igitur & faceſſat hinc teterrima Divarum Bellona, quae fas

gen-

gentium impiis temerare artibus ſolet. Ite Bellorum Furiae, ite Erinnyes, & in ſpecus ac tenebras vos abdite, perpetuis iſtic onerandae catenis. Satis jam ſaeviiſtis diu, ſatis etiam acriter triſtia peregiſtis fatorum mandata, terrarum orbem undique mutuis concutientes cladibus. Ite procinctae acies, ite claſſes roſtratae, ite balliſtarum agmina, & igni deinceps aut ventis ludibrium debete, vel in Barbaros & Turcas, ut coepiſtis, veſtros nunc vertite furores. Chriſtianos ſempiterni jam foederis ſancita jurejurando fides, arctâ tenet copulâ junctos. Illis ea divinitus data fuit animorum inclinatio, ut ferale bellum, tam longe licet lateque diſperſum, pari tandem ſtudio abjecerint. Ipſum hoc Seculum jam ſeneſcens, quaſi pacato ſe exitu approbare vellet poſteris, injecit illis ingens conciliandae pariter pacis deſiderium.

Aſt utinam, Auditores, utinam melior jam Seculorum ordo in poſterum nos maneat, quem nulla iterum turbet armorum immanitas, ſed in quo Pax & Juſtitia ſibi mutuis ſemper amplexibus occurrant & oſculis, quo Gentes, quae unum Pacis Deum pariter colunt, jucundo etiam in terris habitent amicitiae vinculo ſociatae! At quis tandem hanc pulchram adeo & placidam nobis fortunam polliceri in longinquum auſit? Auderem Ego, ſi Veſtri res foret conſilii & arbitrii, Illuſtres Batavae Reip. Proceres, qui ſemper Pacem amaviſtis, qui nullas unquam ſtruxiſtis bellorum cauſas, qui etiam nunc huic melioris ſpei fiduciae veſtrâ praeluxiſtis diligentia. Vobis enim Europa, ubi à Sereniſſimis Britanniae & Sueciae Regibus diſceſſit, aſſignare potiſſimum debebit ſecura haec otia, quibus ſe deinceps oblectabit vobiscum & in priſtinam reſtituet dignitatem. Vos arma, quum neceſſaria eſſent ad depellendum publicae ſervi-

tutis periculum, ſumſiſtis primi: Vos deinde praecipuas ſtipendiorum impenſarumque partes mirifica ſuſtinuiſtis conſtantia, ſoli non deficientes, nec ſuccumbentes tanto oneri. Vos tandem, quum hoſtem jam cepiſſet belli ſatias & odium, quum illud à foederatis etiam trahi magis, quam vi & pertinacia confici poſſe videretis, ſaluberrimum Pacis lumen reliquis accendiſtis gentibus, jaciendis ejus fundamentis, formandis initiis, conſtituenda pactionis ſumma, praebenda reliquis tranſigendis ſede. Veſtro enim inſuper in ſinu perfecit tandem Europa commune hoc & omnium votis expetitum foedus, quod rebus ubique medebitur afflictis, regniſque & nationibus priſcos reddet limites. Magnam enimvero, quoquo me verto, veſtrae reperio laudis & gloriae materiam, in quam ſi effundere me nunc vellem, vix invenirem commodum orationis exitum. Praeclara ſeculi ingenia egregium hoc virtutis veſtrae & conſtantiae decus conſecrabunt aeternitati, & omnium ubique gentium poſteros in ejus admirationem rapient.

Teſtem illi praeconiorum ſuorum veſtram citabunt HAGAM, quae omni, quo pugnatum eſt tempore, pacata licet, praecipua tamen, pene dixerim, Belli communis fuit Sedes, dum penatibus ſuis excepit & fovit illuſtres Principum Legatos, qui convenerunt eo undique, ut in medium de belli iſtius rationibus vobiſcum conſultarent. Quid? quod Illa etiam gremio ſuo complexa eſt Auguſtum hunc totius Europae Florem, frequentiſſimum Excellentiſſimorum Hominum coetum, qui res vario Marte turbatas feliciter tandem Veſtro in ore atque oculis compoſuerunt, & ex graviſſimis armorum procellis, quibus fatigatus erat univerſus Orbis, tranquillam illi reddiderunt Pacis

ſere-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

ſerenitatem? Tantum & tam illuſtre hoc eſt Sedis Veſtræ ornamentum, ut illa, licet jam nobiliſſima, nihil tamen ſuis in titulis habeat, quod anteferri aut comparari cum eo poſſit, & merito deinceps iſtoc nomine ſupra alias jam Vrbes caput ſit elatura.

In partem tamen gloriae accedet ſuburbanus Hagae Pagus, & opportunum iſtic Maximi Regis Praetorium, ubi ictum eſt foedus, ubi ſignatum. Cannas, ignobilem antea vicum Apuliæ, illuſtravit & ad noſtram uſque propagavit memoriam ultimum pene Imperii Romani vulnus, ab Hannibale iſtic acceptum: at quanto nunc ſpecioſius nobilitabit Riſovicum revocata in tot gentes, bellis omnibus terra marique exſtinctis, jucunda quies, ſecura libertas, affluentia annonae, vitae facilitas? immo vero in ſera etiam ſecula mittetur Riſovici nomen, & nunquam intermoriturae commendabitur famae.

Sed quid Ego Riſovicum hic memoro, & non potius, aut unice, Magnum illius Dominum, Regem VILHELMVM? quem ut modo ſigna hoſtibus inferentem ſecutae ſunt tot Gentes, ita nunc almae Pacis ſequuntur Auctorem potiſſimum. Nam quis Te, Regum Eminentiſſime, quis Te, in Batavis de Pace hac agens, indictum praetermittere, aut ingrato involvere ſilentio poſſit? quis immo maximis tuis meritis dignam afferre queat facundiam? quis parem invenire tuis laudibus Orationem? Tuum eſt decus, ſubmoviſſe hoſtem, & noſtris excluſiſſe finibus militarem violentiam, populationem, incendium: explicuiſſe Britanniam, multis undique circumdatam periculis, ſola armorum Tuorum oſtentatione: domuiſſe Hiberniam, fluctuantem in diverſa, magniſque & rebellium & Gallorum copiis infeſtam: expugnaſſe Namurcum, partim aquarum & montium, partim operum manu factorum munimento tantum non

in-

inſuperabilem: Trajeciſſe Boinam, & hoſtes adverſam tenentes ripam dediſſe in fugam: Rupiſſe ſaepius gladio, ac diſperſiſſe obſtantes ubique armatorum cuneos: Geſſiſſe denique bellum, praeſentem, abſentem, hic manu & Tuo ductu, iſtic conſilio & auctoritate. Virtutis ea ſunt pene pluſquam humanae, certe aliis nunc Regibus inuſitatae, ſed quae Tibi Divino quodam Conſilio ad ſervandam hoc ſeculo Europam unice videtur data. At quanto jam majoris, quanto praeſtantioris etiam eſt Virtutis, viciſſe & quaſi in ordinem coegiſſe iras, quas ingentes & juſtiſſimas animo volvebas? quae victoria longe omnium eſt pulcherrima: donaſſe Tuis Populis tot injurias privatim ab hoſte acceptas? quod munus vero eſt Rege ac Populorum Paſtore digniſſimum: erexiſſe ac opima pace refoviſſe, quae bello ubivis erant collapſa & afflicta? quod certiſſimum benefici Patris Patriae eſt ſpecimen. Talia autem ac tanta non Suis modo, ſed & Sociis praeſtitiſſe Gentibus, illud enim vero non hujus eſt ſeculi, non horum profecto temporum. Vetus illa eſt pietas, priſcae eſt illa Antiquitatis virtus, quando pro Patria ſe ultro Diis Manibus devovebant Codri, devovebant Decii, quando pulcherrima Romani pro liberandis Graecis movebant arma. Nam quid aliud etiam Tu multis jam egiſti annis, quam ut & Noſtrae Britannica eque ſaluti impenderes pericula ac labores Tuos, & Sociis Tuum praeberes ductum & auſpicia? Expugnaſti Namurcum, cepiſti Hojam, tuo utramque milite, ſumptu, operâ; ſed prioribus reddidiſti Dominis. Trajeciſti quotannis mare, non ut tibi quid ex Continenti vindicares, ſed ut ſuas quiſque res ſalvas ſibi haberet aut reciperet. Pepigiſti tandem foedus, ſed quo nihil tuis acceſſit Regnis, at Vrbes & Regiones integrae in aliorum redeunt Principum ditionem priſtinam.

Ignoſce

Ignoſce, Regum Optime, ſi palam profitear me haeſitare, utrum rebus ipſis Te in praeſens, an exemplo etiam in poſterum, magis praedicem generi exſtitiſſe humano ſalutarem. Hoc tamen ſumere mihi auſim, ut Te, Bello licet Maximum, conciliata tamen tot populis Pace, longe jam Te etiam ipſo dicam Majorem. Is etenim non meus ſeorſum, non paucorum quorundam, ſed omnium ubique gentium eſt ſenſus, omnium eſt hominum exiſtimatio, qui pariter tanto antiquius ſibi ducunt multis etiam laureis unum olivae munus, quanto potius eſt ampliſſimis expleri bonis, quam imminentibus tantum malis eripi. Hunc ergo Diem, qui prae caeteris admirandam ſemper venerationis Tuae imaginem cunctorum incutiet animis, qui declaravit jam manifeſta rerum fide, non ſuſcepiſſe Te bellum immortale, ſed, ſimulac hoſtes ad removendas è medio armorum cauſas ultro dedere manus, primam Te habuiſſe rationem ſalutis publicae, Hunc ergo Diem, tam illuſtrem Tibi, tam exoptatum Europae, maximis Tuis victoriis, ſupplicationibus, triumphis omnibus, merito antepones, o Regum Maxime. Nobis vero, qui Te in Batavis pietate debita veneramur, & veneramur omnes, eo etiam nomine jucundiſſima accidunt haec tempora, quod Te tandem, & bona jam fide, habebimus ſalvum & incolumem, habebimus vacuum inſidiis & periculis, quae ſubire, nobis ad minimos etiam ſuſurros trepidantibus, quotannis ſolebas, terra marique, domi & foris, non ventis modo ac telis hoſtium, ſed infandis etiam peſſimorum hominum, qui bona ſua habent odio, conſpirationibus objectus. Nec enim nunc exſecranda illorum mens, nullis amplius externis freta aut firmata viribus, ſtruere audebit dolos in nervum utique jam erupturos, tentan-

dove paricidio, Oceanum reſpiciens, patriæ ſuæ moliri interitum. Hæc Te evaſiſſe tandem diſcrimina rerum, has ſollicitudinis noſtrae cauſas, gratulamur Tibi, gratulamur nobis, quorum ſpiritus ipſe venerabili Tuo & ſacro trahitur ore. Neque habemus nunc aliud, quod magis optemus & noſtris quaſi paciſcamur votis, quam ut, Tuum quanquam nobis ſydus ſubtraxit ferme Britannia, vel ſic tamen etiam Nobis, & Europæ, & huic Paci, ſoſpitem Te ſervet Deus quam diutiſſime. Nam quid æquius, quam Te, cujus potiſſimum periculis & excubiis hæc otiá debemus, frui etiam ipſum & lætari longum Tuis tam praeclaris operibus? Quid utilius etiam Nobis, quam cujus felicitatis per Te jacta jam habemus fundamenta, eandem videre etiam brevi ad ſummum abs Te perductam faſtigium, dum, quæ inter armorum curas neglecta & dilapſa ubivis fluxerunt, omnia denuo ab inferis quaſi excitabis & in integrum reſtitues? Quid ipſi conſultius Europae, quam Te, cujus pulcherrimo fortitudinis & moderationis temperamento pacem hanc refert acceptam, providere nunc etiam auctoritate Tua, ne qua calumniâ aut ſiniſtra verborum interpretatione fraus fiat initae pactionis legibus, neu ſopiti jam bellorum cineres de integro caleſcant, & in triſtiora mox erumpant incendia?

At hujus ne quid eveniat, neu quid denuo Orbem conturbet terrarum, Te potiſſimum, Benigne Deus, rogamus & obteſtamur ſupplices. Deus es Pacis & Concordiae, Rex Regum & Populorum omnium, qui ſolus & ſolo nutu avertere potes mala, quae quae perfidi moliuntur Vertumni. Diſſipa igitur conſilia illorum, qui ſanctiſſimam jurisjurandi fidem impiis tentabunt unquam fallere cavillationibus. Exſtingue & tolle funditus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

tus, ſi quiae ſuperſunt aut in receſſu etiamdum latent, ſemina dſcordiarum, quae tuos iterum Chriſtianos collidere valeant. Fac ſtabilis, fida, atque aeterna ſit, quam nobis dediſti Pacem. Ita Nos Tibi, quas cecinimus noviſſime laudes & grates, dicemus atque agemus ex intimo animorum ſenſu ampliſſimas verbis, tempore ſempiternas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

tus, ſi quiae ſuperſunt aut in receſſu etiamdum latent, ſemina diſcordiarum, quae tuos iterum Chriſtianos collidere valeant. Fac ſtabilis, fida, atque aeterna ſit, quam nobis dediſti Pacem. Ita Nos Tibi, quas cecinimus noviſſime laudes & grates, dicemus atque agemus ex intimo animorum ſenſu ampliſſimas verbis, tempore ſempiternas.

JAC. PERIZONII

ORATIO II.

SEU

COHORTATIO

AD

FACIENDAM PACEM.

HAbet hoc Humani Ingenii indoles, ut eorum, quae maximo deſideravit opere, vel jam facta, vel futura propediem compos, ſoli ſibi gaudere in ſinu, aut ſpes ſuas, licet incerti hoc & ſaepe inanis ſit boni nomen, premere tamen tacito corde difficulter prorſus queat. Nempe ſicuti, qui gravi quodam dolore aut metu jactantur, erumpunt continuo in gemitus & lachrymas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

tanto plerumque uberiores, quanto minus clamoribus indulgere ac vociferationibus audent: ita plane videas immodico etiam in gaudio, aut liquido meliorum rerum praeſagio, geſtientes paſſim, atque ipſis manibus, pedibus, oculis, labiis, ſi verbis parum liceat, ſuam declarantes ſpem atque animi laetitiam. Quin occurrunt in Hiſtoriis omnium gentium haud pauci, qui, quum luculentiorem ſibi fortunam, ſed per ſcelera quaerendam, deſtinarent & mente jam quaſi praeciperent, temperare non potuerunt, quin conſilia ſua, ratum brevi habitura eventum, ante diem aliis temere proderent, atque ita ſuum ipſorum caput diſcrimini objicerent certiſſimo. Aſt innocua rei ſaluberrimae exſpectatio, ut nulli eſt culpae obnoxia, ita nemo increpare eam ſolet, ſi, tacitam ſe prae gaudio cohibere neſcia, exponere ſpei ſuae blandimenta publice privatimve auſit. Pacem certe, dulciſſimum illud bella expertis nomen, quum palam deſideremus omnes, quotquot Chriſtianae ſumus Europae populi, quid ergo nos vetet incredibilem quandam animi voluptatem ſine circuitione ulla teſtificari, quod illam, non jam amplius intempeſtivis aut jactis in longum votis poſcere, ſed certa pene ſpe quaſi ante pedes poſitam arripere, nobis videmur, quandoquidem in proximas Huic Vrbes undique coiiſſe jam ſcimus, & vidimus plerique, Legatos Illuſtriſſimos, quibus Reges, Principes, Populi, ſuas ſinguli rationes ac vota permiſerunt, quos ſuſpiria & preces privatorum proſecutae ad optatum deduxere Pacis pangendae Concilium.

Gratulandum quidem noſtrae ſingulariter Reip. in communi hoc bellorum incendio, quod, quamvis praecipuas in eo ſuſtineamus ſane partes, immunes tamen adhuc agimus malorum, quae aliis incumbunt, quos propius urget Bellona. Nulla etenim hic cladium ve-

veſtigia, nihil agrorum jacet deſertum, nulla in oppidis rerum ad lautiorem vitae cultum pertinentium penuria: cuncta denique apud nos paci etiamdum propiora, dum terra marique perſtrepunt arma, dum vicina ſaepe ferro flammaque vaſtantur, & omnia alibi furore bellico ardent. Sed tamen lenta nos quoque arrodit ſenſim & exedit tabes gliſcentium quotannis tributorum, & vix ſufficimus ferendis amplius vectigalium oneribus, quibus imminuuntur magis ac magis, & in arctum rediguntur, ſui cuique reditus. Afflicta etiam jacet magnam partem mercatura, quae tamen potiſſimus eſt noſtrae Reip. nervus: cedit privatim foro fides, & conflamus publice grande aes alienum, cui dein expungendo longa pace vix erimus pares. Ita quaecunque tandem apud nos ſit rerum ſpecies, ſi tamen in conſilium hic quoque & ſuffragium mitterentur ſinguli, Pacem omnes aeque ſuaderent, aeque conſciſcerent.

At ſi ullum eſt genus hominum, quod prae caeteris à cruento penitus Marte abhorreat, Muſarum hi ſunt Famuli & Sacerdotes, prompti quidem illi & parati ſaepe etiam ad pugnas, ſed literarias & togatas, quibus ſanguis non mittitur, nec itur ad ſaga. Bellum, quo concurritur in cædes, & ad internecionem ſaevitur, oderunt illi & exſecrantur, quam qui maxime. Eo etenim graſſante, ſi jam nihil ipſi aliud perſentiſcant mali, jacent quaſi ſepulta liberalium artium ſtudia, ac, reſerato Jani templo, cauſæ reſtat ferme nihil, quo minus claudantur prorſus Palladis & Muſarum ſacraria, Deaeque ipſae in ſolitudinem abeant & ſilentium triſte. Quin niſi eas, ingruente hoc bello, ſpes foviſſet rediturae brevi pacis, vertiſſent etiam ſine mora ſolum, ac fuga ſibi conſuluiſſent ûltra aut Cimbros aut Gara-

man-

mantas. Cæterum ea ſpes quum haud exigua nunc maxime nobis oſtentetur, quum immo in vicina illa & cultiſſima dignitatis Batavicæ ſede id jam rebus ipſis agatur, ut, ſopito penitus armorum ſtrepitu, reſtituatur Europae quies & fortuna priſtina, quid oportunius ergo eſſe queat, quid magis congruens homini Academico, quam ampliſſimam hanc Patriae noſtrae gloriam Academicis quoque celebrare ſermonibus? quam publice publicam illam omnium exſpectationem cum maxime fauſtis proſequi omnibus, & Pacem, quantum poteſt, ſuadere, laudare, ac fugitivam diu, ſi minus rationum pondere, at religione tamen votorum, in Chriſtiani Orbis revocare terras?

Certe Ego nullus dubito, quin me meâ licet ſponte haec tentantem aequo ſitis audituri animo, & prolixa complexuri benignitate. Nam quis tandem foret veſtrûm, quem nondum cepiſſet ſatias tot vectigalium, nondum miſeratio humani utrimque, utrimque Chriſtiani, ſanguinis, toties & tanta copia hauſti invicem ac fusi? Quis immo foret, qui non mecum ſaltem votis expoſcere velit Pacem, modo nihil illa habeat inſidiarum, nihil relinquat ſollicitudinis? Ipſi, medius fidius, parietes hujus Aedis, ipſa haec ſubſellia, ad auditum rei adeo delectabilis nomen exſilire mihi videntur gaudio, ac ſuum teſtari deſiderium. De veſtro itaque animorum ſenſu ac voluntate incertus Ego dubitem? quum blanda illa vultus ac oris lenitas, illa oculorum alacritas, & exporrectae frontis vigor, abunde mihi veſtram etiam non roganti declarent benevolentiam, veſtramque arrectarum aurium operam ultro dicent ac deſpondeant. At utinam, Auditores, utinam verba mea tam facile apud Principes, ad quos potiſſimum ſpectat hæc Oratio, fidem ſibi facerent, & extorquerent aſſenſum,

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

quam illa Vobis argumenti hujus veritatem & momentum liquido approbabunt!

Non repetam hic initia hujus Belli prima, nec exſequar variam ejus per ſingulos annos fortunam, neque vero acri penſitabo examine praetextus utrimque aut rationes partium. Omnium enim pene una nunc armorum cauſa eſt, inſana illa dominandi atque imperitandi latius us libido. Hanc mihi aufer ex animis Principum; & coelo mox ipſo detrahes Martem, inque aureum ferme reſtitues univerſa ſeculum, quæ nunc uno hoc omnium malorum fonte infecta & corrupta turbis miſcentur perpetuis. Nam quid aliud Jacobum è Britannia nuper expulit, & alterius vultum ſubire ac praeſidium implorare ſupplicem coegit, quam quod pluſquam civilia iſtic & liberis populis non ferenda, hoc eſt, infinitam illam, & legibus, quibus tenebatur, ſolutam poteſtatem temere animo agitavit? Quid ita omnem nunc uno conſenſu Europam armavit in Galliam, & ejus Principem Ludovicum XIV. niſi immoderata Hujus & nullis finibus coercita propagandi Imperii cupiditas, quaſi pulcherrima Gallici Regni Fortuna unius non caperet Hominis ſpiritus, aut explere poſſet vota? Quid olim Alexandrum quoque Macedonem tot Vrbibus impegit, tot populis, niſi ſacra illa & deteſtabilis voluptas ſubjiciendi pedibus ſuis cuncta, & ſub ſervitutis mittendi jugum? Immo vero neque Vnus huic Juveni ſufficiebat Orbis, quem divexaret & opprimeret. Quærebat alterum, eumque miſſis in Oceanum navibus non inveniri indignabatur, veſano plus etiam, quam rapi poſſet, habendi ſtudio amens. O diram, o exſecrabilem

bilem Regiæ Ambitionis an Avaritiæ voraginem! quæ nullos omnino novit fines, nullum ſibi ſtatuit modum. Quid enim Iſte, non Virtutis, ſed Temeritatis feliciſſimæ Adoleſcens? an Macedoniæ? an Thraciae etiam ac Illyrici? an Graeciae totius principatum tenere ſatis habuit? Pervaſit immo Aſiam Oceano tenus, armis ſuis uſquequaque concuſſam, undique vaſtatam, ubique humano redundantem ſanguine. Hìc vero an ſubſtitit, inque eo, non jam Regni, ſed Orbis terrarum, limite an acquievit tandem? Aſt ille etiam iſtic arcte nimis habitavit, & quod Gentibus univerſis, quod ipſi erat Naturae ſatis, improbam unius Macedonis aviditatem ſatiare non potuit. Fuerat paulo ante exigui & ignobilis nuper Regni Dominus, at nunc non contentus eo, quod latius etiam in Europa dominaretur, quam quiſquam alius, quod tot Reges, tot Populos, in Aſia more fulminis proſtraviſſet ac infra ſuos abjeciſſet pedes, quod omnia uſque ad ultimos Orientis terminos in ſuam redegiſſet poteſtatem, auſus eſt inſuper impudenti plane voto optare plus quam Omnia, plus certe, quam ipſa iſtic poſſidebat rerum Natura. Deeſſe querebatur Terras, quas porro ureret, exſcinderet, depopularetur. Ingemiſcebat nullam ſupereſſe bellorum materiam, quibus nova ſubinde per aliorum injuriam acquireret. Oceanum itaque ſcrutabatur immiſſa claſſe, & coeca iſtic inveſtigabat mente, quod occuparet & faceret ſuum.

Hunc ergo vos Regem, hunc vos *Magnum* dicitis? ô Fortunae magis, quam Virtutis praeclarae Admiratores! Ille enimvero in ampliſſimis licet opibus Pauper erat, ſemper eſuriens, ſemper ſitiens: Ille Pauperrimorum hominum inopiam parvo aequabat animo, animo quippe prorſus jejuno, & immane quantum ſemper cupido.

At

At Glorioſum tamen illud & Regium plane putatis, peragraſſe victoriis Orbem, atque ita maximum condidiſſe ac reliquiſſe poſteris Imperium. Ego vero quid vos Gloriam vocetis, aut quibus eam artibus cenſeatis comparari, decernere ſatis nequeo: ſed haud dubie tam Vos Verae ignoratis rationem, quam Falſae tenere modum neſciebat Ille. Nam quis caeteroquin eſt, qui, ubi animum attenderit, pulchrum bona fide & laude dignum pronunciare queat, Hominibus nulla prorſus injuria cognitis eripuiſſe ſua, reſiſtentes & patriam ac penates tueri tantum auſos internecione deleviſſe, gentes ſaevitia armorum ſuſtuliſſe integras, ſubjeciſſe Vrbibus faces, induxiſſe iis aratra, Regiones in triſtem redegiſſe ſolitudinem, jus denique dediſſe ſceleribus graſſandi in miſeros, quos proterva ac tetra ambitio ſibi ultro ſumſit vel fecit hoſtes? Haeccine, ô Boni, Magnifica vobis ſunt, haec decora & illuſtria? Sic enimvero laudantur Buſirides, ſic Nerones: Sic immo Attilae inclaruerunt, ſic Temirlanes: Hac Via Turcae, hac veteres Normanni, quorum etiam in publicas deprecationes relatus eſt *Furor*, graſſati ſunt ad gloriam. Nam quid aliud generi praeſtitit humano Veſter ille Heros, quam quod Hi multarum quoque exſcidio gentium nobiles Populi ac Reges? Vel, quod gravior quaedam Inundatio, quae aliquot millia exſtinguit mortalium, aut majora illa Incendia, quae integras hauriunt Vrbes, & in cineres vertunt? Quapropter, ſi vera vultis rerum vocabula, ſi ferre poteſtis, quam ipſe tulit in Scythis, ſimplicitatem antiquam: Victor ille, ille Domitor Orbis, maximus fuit omnium Seculorum Latro, ſui Peſtis & Pernicies teterrima, Deorum ira exitio generis Humani tunc natus, innocentium delibutus ſanguine, terribile omnibus humana facie Monſtrum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

quod virus ſuum aeque, ac ignaviſſima quaedam ſerpentium genera, in obvios quoſque, Amicos haud minus quam Hoſtes, Cives quam Alienigenas, ſine diſcrimine tandem ſparſit.

Et tamen ad hujus exemplar etiam hodie Reges ſuos vocare ſuſtinent quidam Majores domus Regiae Miniſtri: His illi latrociniis imbuunt eorum pueritiam: Haec facinora in ipſis Aulae parietibus repraeſentant, ne ſcilicet unquam praeceptae iniquitatis memoria ex eorum deleatur animis. Quod quid, obſecro, eſt aliud, quam vaniſſimae praetextu Gloriae acuere illorum indolem in promiſcuas Hominum caedes, & ſtrages Vrbium, inſtruere eos in omnem ſaevitiam, atque excitare illis ſpectaculis quaſi rerum optime geſtarum in quaevis mala publica, in violentiam, injuriam, & cupiditatem infinitam?

Quanto illi rectius ab hiſce ſpecioſis Principum vitiis mentem Suorum cogitationemque procul prohiberent, & ad Numae potius Pompilii, aut Antoninorum, ſeu Pii, ſeu Marci, certas converterent laudes, qui non tutos tantum, tranquillos, beatos, praeſtiterunt ſe ſuoſque cives & aequales, ſed & virtutis ſuae famam, colendis Pacis Artibus, conſecrarunt aeternitati? Hae enim ſunt Artes, in quibus ſolis ſolida demum & integra verſatur Gloria, nullis illa flagitiis parta, nullius cum malo conjuncta aut clade, nihil ambitionis, nihil avaritiae, nullam ſimilis vitii facem, oſtentans, nulla etiam alterius cujuſcunque ſocietate praeflorata vel imminuta: quum, quicquid veri decoris ex laureis decerpitur bellorum, oriatur id demum ex neceſſitate ſe ſuaque tuendi, & vel ſic cum robore & fortitudine militum, ſaepe etiam cum Fortuna, praecipua illa rerum Humanarum Arbitra, communicari debeat, certe vix quidquam habeat pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

proprii, nihil pene, quod non ex parte magna ſibi vindicent alii. Spectate mihi ipſum hunc Alexandrum, de quo egimus, Hominem ſane ſtrenuum, ſuoque ſemper animo inanes iſtius Gloriae ſpecies figurantem. Nihil ille magnae rei ſine Parmenione, cui tamen poſt tot victorias caedem pro gratia retulit, coepiſſe, nihil ſine eo egiſſe traditur. Spectate Caeſares Auguſtos, & eos maxime, qui plurimarum habent Gentium nomina ſuis ſubjecta Imaginibus. Legati utique eorum fuerunt & expeditionum Comites, qui praecipuam rebus tam feliciter geſtis navarunt operam, dum ipſi illi Caeſares, qui alieno partam conſilio, labore, virtute, gloriam in ſuos tranſtulerunt titulos, pauxillum de Bellis delibaverunt plerique, nonnulli etiam domi ſedentes ſuis tantum per Alios pugnarunt auſpiciis. Quid illuſtrius Juſtiniano, qui Francicum ſe perhibebat & Alemannicum, qui deletis Vandalis Africam, Italiam expulſis Gothis, imperio reſtituit Romano? At hoſtes ille nunquam vidit, in nullius venit periculi communionem, laureas tantum ſuo excepit capite, ſed Beliſarii, & Narſetis manibus deportatas.

Quamobrem ut jam ad Vos me convertam, Sereniſſimi Reges ac Principes, qui in mutuum adhuc armati eſtis exitium, ne, quaeſo, ne praeſtringat diutius veſtram oculorum aciem cruentus ille inhumanae prorſus gloriae fulgor, neu faciat ullam vobis amplius votorum partem immane illud longius latiuſque Regnandi ſtudium, quo minus tandem aliquando Europae veſtris jam fatigatae Bellis, & ſecuram cum maxime flagitantis pacem, exaudiatis preces. Habent etenim ſingula plerumque Regna ſuam veluti menſuram, quam ubi exceſſerunt, nimia mox obruuntur mole. Nec temere eſt, quod Romani olim primum Euphratem,

dein Tigrim, Fatis crediderunt datum ſuo Imperio terminum, quem violare aut transſcendere eſſet nefas. Videbant ſcilicet ipſam rerum Naturam, modo Montibus, modo Fluminibus, Gentes diſtinxiſſe Nationeſque, & quamvis non ſemper his quidem limitibus coerceatur victrix populorum Fortuna, accepiſſe tamen & eam certos ſibi fines, quos ultra conſiſtere diu, aut confirmari vix queat. Quid vero? Inania haec putatis ignavorum hominum ſomnia, aut inepta anilis cujuſdam ſuperſtitionis deliramenta? Perluſtrate ergo, ſi lubet, omnium gentium, ſeculorum omnium, Annales. Nullum iſtic reperietis Regnum, quod quidem ad praecipuum pervenerit potentiae culmen, diu ſtetiſſe: pauciſſima etiam perpetuo victoriarum tenore ad illud eſcendiſſe faſtigium: pleraque quo altius evecta fallaci quadam fortunae blandientis aura, tanto mox foedius corruiſſe. Sed quid Ego Vos ad interiora Hiſtoriarum revoco? Cogitate mihi Aſſyrios tantum & Babylonios: cogitate Medos & Perſas, eorumque fata, quae, vix quiſquam eſt rerum adeo imperitus, qui neſciat. Quid ergo illi? Nonne, quum primum alteri alteros quaſi vicibus factis de poſſeſſione ampliſſimae ditionis multis laboribus & proeliis partae dejeciſſent, nonne, inquam, omnes dein pariter unius Pellaei juvenis jugo ſubdere debuerunt colla? Hujus porro ipſius ut Vita in ipſo occidit aetatis flore, nonne ſic & Imperium poſt ejus mortem in Varios quaſi Haeredes diſtractum dilaceratumque, mox univerſum in Romani conceſſit Populi leges & arbitrium? Sed & Illum tantis rerum ſucceſſibus elatum Populum nonne ſua quoque deprehendit tandem fatorum viciſſitudo? Quid enim? quum eo jam creviſſet magnitudinis, ut, neque ante, neque poſt, parem habuerit ſibi quemquam, nonne tunc ſuis ſe primum viribus &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

inteſtinis afflixit diſcordiis? nonne mox Barbarorum etiam undique incurrentium patuit injuriis, immo in praedam denique ceſſit Gothis, Vandalis, Francis, Longobardis, Saracenis, qui ejus ſpoliis hinc inde detractis, & quaſi partitis manubiis, ſe locupletarunt omnes? Tantum aberat, ut Roma, quae ſe olim jactabat *Aeternam*, ſemper ſteterit incolumis reſque ſuas habuerit ſalvas, ipſa quippe expugnata tunc ſaepius, & direpta atque incenſa ab ignotis antea Gentibus. Quod ſi propiora vultis, repetite igitur ex proximis ſuperioribus ſeculis, quam nullo tunc negotio Galliam occupaverint Angli, at quam cito rurſus amiſerint, quum pene totam ſibi jam cepiſſe viderentur, gradum ſiſtere coacti ab Ruſtica primum Virgine, & dein penitus ex ea ejecti. Repraeſentate item animis veſtris, quo aeſtu & torrente Fortunae, Galli avorum memoria Neapolim tentantes, Italiam omnem ſaepius quaſi inundaverint & oppreſſerint, at mox ſimili inſtabilis illius Deae impetu exciderint viciſſim ea, expulſi majori ferme cum clade & ignominia, quam Italis ipſi intulerant. Dies me deficeret, ſi percenſere ſingulos vellem, qui incerta caſuum non reputantes, nec priſtinis, & quos ipſa iis dederat rerum Natura, acquieſcentes finibus, incurſu quidem primo validi proſtraverint facile cuncta, ſed ad extremum omnia quaeſita jam decora, pariter in diſcrimen miſſa, unius horae momento perdiderint, vel certe ſenſim per taedia & moras bellorum, fortunam experti minus ſibi jam adſpirantem, vixerint ſuae tandem famae ſuperſtites fine prorſus inglorio.

Sed quid in hiſce potiſſimum commemorandis longas adeo moras necto, quaſi eadem hujus etiam eſſet ſeculi, quae fuit priorum ratio, aut eadem nunc daretur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

tur, in hac certe Europa, quæ olim, graſſandi facultas ad ſumma rerum, & longum latumque ſibi per varias terrarum oras conſtituendi imperium? Non eo nunc loco, ſi verum audire vultis, Reges, non eo ſitae ſunt res opeſque veſtræ. Amentis immo foret, & pene pluſquam veſani, ſtolidas adeo & fluxas animo concipere nunc ſpes, quando omnes ferme Populi, perpetuo quodam, & continuis culto legationibus, commercio inter ſe juncti, conſpirant identidem & concurrunt extemplo veluti ad extinguendum commune aliquod incendium, ſi quis Vnus ſupra caeteros emergat altius, ac immodica ſpirans dominationem in alios affectet. Dum enim finitimis ille infert arma, oſtentare creditur omnibus, quos ideo terror iſte & contagio periculi in arctiſſimam continuo adigit ſocietatem tuendae contra illum Vnum ſalutis omnium publicae, ne domitis jam proximis, ea virium acceſſione validior, confidentius mox ad reliquos etiam tranſeat opprimendos. Sic accepimus à majoribus noſtris, quum Auſtriaci ſuperiore ſeculo ſuſpectas omnibus & formidoloſas variis artibus acquiſiviſſent opes, quum Carolus ille Quintus Franciſcum Galliae Regem viciſſet ad Ticinum cepiſſetque, quum dein *Proteſtantium* quoque, ut vocabantur, Principum partes in Germania oppreſſiſſet, quum in Italia inſuper late dominaretur, Hiſpaniam & Belgicam teneret omnem, atque Vnus jam ſupra caeteros emineret adeo, ut inſultare, ſi quidem vellet, (Et quid tandem ille nollet, qui ſemper cogitabat *Vlteriora*?) ſingulorum capitibus poſſe videretur, tunc, inquam, pleroſque ſubinde Principes coiiſſe in foedus, quo junctis fideliter viribus obviam irent invaleſcenti nimium potentiae: immo ipſum etiam Papam Romanum, Paulum III. ultro tunc auctorem fuiſſe

fuiſſe Gallis, non modo, ut afflictam Proteſtantium Germanorum cauſam erigerent denuo firmarentque, ſed &, Turcarum ut Imperatorem, Solymannum, in auxilium contra Neapolim, quam Carolus tenebat, palam evocarent. Meminerat ſcilicet, jam antea Alexandrum VI. illum ſuae ſibi dignitatis architectum, ſimili motum ratione, cum Bajazethe Solymanni iſtius Avo adverſus Gallos, Italiae tunc victores, intimam ſimul amicitiam & mutuam foederis iniiſſe pactionem. Adeo omnia ſine exceptione arripiunt, & ſubſidio ſibi comparant, qui periculum ab alio imminere arbitrantur! quin adeo etiam maxime contraria facile tamen ſocietatem contrahunt, quando pariter una tenentur formidine! Et quid hodie foederatos ita conſociavit? an mutuus quidam Amor? an Neceſſitudinis cujuſdam ratio? Immo vero communis eos junxit Metus, & junget, quamdiu Gallia, tantis ſuccincta exercitibus, ſingulorum libertati inſidias ſtruere, aut injuſta opum ſuarum incrementa undecunque rapere perget. Nam quis aequo tandem animo Princeps ferre poſſit Alium, plus quam paria ſemper agitantem, & imperium molientem in Reliquos? Quis non accurrat lubens ad communem ejuſmodi hoſtem à cervicibus aliorum ſuis quoque depellendum copiis?

Quapropter deſinas licet, Gallia, tollere animos, deſinas inanes illas tibi fingere ſpes potiundae nunc Europae, & in tuam cogendae ditionem. Neque vero reſpicias priſca tempora, ſive iſta Magni quondam Caroli tui, ſive illa Romanorum, quando ſingulae pene Civitates ſua ſibi ſeparatim habebant, nec curabant magnopere, quid alibi rerum gereretur parareturve: quando Populi diverſarum Gentium vix unquam, aut communis cauſae ſtudio, aut periculi praeſagio

excitati, ad arma pariter concurrebant: immo quum Vna haud facile Natio conſurgeret ſimul integra, ad aſſerendam publice libertatem, & imminentes ei hoſtes alienigenas finibus ſuis ſubmovendos: ſed pugnarent plerumque ſinguli, & ita debellarentur paulatim omnes.

Quid? quod & unius tunc Victoriae praemium ſaepe erat ampliſſima quamvis regio? maximum profecto operae ac laboris bellici pretium! quod item hiſce temporibus fruſtra ſpectes aut ſperes. Quum Perſae ad Granicum in fugam eſſent acti, totam continuo Aſiam perdiderunt cis Taurum: quum dein ad Iſſum Ciliciae, omnem, quam latiſſime patet, Syriam, & adjacentia terrarum: quum denique ad Arbela, quicquid ſupererat tanti imperii, (ſupererant autem integrae gentes) omne id Victori ceſſerunt Alexandro. Sed & Saracenis an acrius poſtea aut diutius reſtiterunt Chriſtiani, & ii quidem Romani, ſeu malis Graeci? Nonne enim & illi, quum Africae longitudinem, citato quaſi curſu emenſi, totam ſubjugaviſſent, jamque Hiſpaniam invaderent, Roderico iſtic Rege caeſo, univerſam, quanta quanta eſt, abſtulerunt confeſtim victoriae ſuae fructum? nonne ipſam inſuper eadem ſibi opera aperuerunt Galliam? Taceo tot alias Barbarorum excurſiones, qui, quum novas ſibi ſedes variis in regionibus quaererent, rem una plerumque acie profligatam habuerunt confectamque. At nunc, non de Africa, aut Aſia, nec de Hiſpania omni, ſed de ſingulis ſemper oppidis diſceptatur totis ferme unius anni aeſtivis, & ſic bella, acri licet impetu coepta, mox tamen per taedia & moras obſidionum neceſſario conſeneſcunt, atque extinguuntur tandem penitus. Rationem ſi quaeritis iſtius quoque diſcriminis: Pauciſſimae erant olim & levi opere plurimum factae munitiones, quibus temere irruentem arcerent hoſtem, ſaepe etiam ſolis ſe fluminibus

tue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

tuebantur & ſaltibus, ſaepe immo ſuis unice fidebant viribus atque armis. Vt adeo, ſi quis iſtoc tempore, vel praeſidium qualecunque oppreſſiſſet in finibus poſitum, vel viam ſibi in interiora terrarum vi pugnando feciſſet, continuo rerum illic potiretur, & cuncta ſuis acciperet ſubmiſſa legibus. Contra ea obſepti nunc ſunt ubique validiſſimis arcibus omnes Regionum aditus, ſparſae ſunt paſſim per flumina monteſque ipſos Vrbes naturali ſitu vix expugnabiles, & tamen arte inſuper maxima munitae. Ecquid inde conſequitur jam aliud? quam trahendum itaque nunc bellum multis lentiſque obſidionibus, & per ſingula circumferendum munimenta, quae plura numero oportunis ſunt locis ſtructa, & nova identidem ſuccedunt expugnatis prioribus, quaſi Hydrae alicujus Lernaeae capita. Quod ſi jam inſuper armatae ſint utrimque partes, & paribus pene copiis inſtructae, tunc enim vero fruſtra eſt, qui poſtulet magnum aliquod inter tot arces & hoſtium caſtra operae ferre pretium, nedum brevi aut facili negotio debellare. Nam quid tandem ad ſummam rei contulit capta quidem nuper à Gallis, at mox à Noſtris recepta, Namurcum? quid Hoja? quid Maguntiacum? Num minus ideo circa eadem haeremus utrique flumina? Num minus ſedendo etiam nunc rem gerimus, & ſpeculando tantum alter alterius conſilia? Adde jam uſu etiam ipſo compertum, nihil plerumque in belli exitum ne acerrimis quidem profligari nunc proeliis, quippe quibus multum utrimque hauritur ſemper & datur ſanguinis, nec longe à victis abſunt ipſi victores: quo fit, ut facile, qui terga vertere ſunt coacti, reparent mox & colligant ex tot Vrbium praeſidiis novas ſibi vires, quibuſcum ſua ſaltem tueri ſatis queant adverſus hoſtes ipſa quoque victoria debilitatos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

Quapropter, quum, ſi unquam alias, hoc certe in bello, utrimque jam ſtent in acie, aut in campo tendant, phalanges paribus praeditae animis: quum firmiſſimi hinc & inde exercitus ſuis quiſque praeſideant finibus: quum hoſtiles terras aequaliter tegant, & quaſi occludant, validiſſimarum Vrbium moenia, quae expugnare ſingula difficillimum & longiſſimae eſt morae, at poſt tergum relinquere, non periculoſae tantum aleae, ſed certae pene cladis eſt opus: quum denique, quicquid ars & diſciplina militaris praecipit, quicquid prudentia & rei bellicae peritia novit, aut comminiſci poteſt, proviſa ſint ab utriſque omnia & inſtructa, quæ ergo ſpes, ô Bellatores Principes, amplius vos tenet, alter alterum brevi ad incitas redigendi triumphandique? quod prolubium te cepit, Gallia, movendi hac rerum facie, retinendique tam diu, arma ad propagandos longius imperii limites, aut, quos per vim & injuriam nuper ſtatuiſti, tibi vindicandos? Non hujus illud eſt belli, non hujus temporis, quo prompti paratique pariter omnes, & ad ſua tuenda cum maxime intenti, facile jam ſuis quiſque copiis, vel certe ſuppetiis aliunde mox miſſis, depellent te undique & ſubmovebunt.

Quin ſi maxime aliter paulo ſe res haberet, ſi fecunda etiamnum daretur tropaeorum ſeges, dubia tamen eſt ſemper & inſtabilis omnino armorum Fortuna, quae haud raro afflictas prius erigit partes, ipſaque acuit deſperatione, victricibus contra ſuas reddit lubens malorum vices. An neſcitis, ô Cupidi Triumphorum, ſolitum hoc illi, ut fortiſſimos etiam ac peritiſſimos Duces, poſtquam in minoribus ſibi praeſtruxit fidem, mox, quum operae videtur pretium, majori fallat mercede? Pervulgatum eſt utique, & multo comper-

pertum uſu, nuſquam minus, quam in Bello, conſtare Fortunam, nuſquam minus reſpondere exſpectationi Eventum. Etiam Crotoniatas, quod fidem vix inveniebat, profligaverunt olim Locrenſes, ſine ſpe victoriae victoriam tamen reportantes. Sed & hodie an non illi, qui armis ita appetunt aliena, videntur identidem quaſi aureo piſcari hamo, cujus captura incerta prorſus, ſaepe etiam in graviſſimum vertit damnum?

Quanto itaque ſecurius eſt ſingulis, quanto tutius, paciſcendo tranſigere controverſias, & honeſtis conditionibus condere tandem ferrum? Superiores vos bello putatis? Videte ergo, ut rerum bene geſtarum pretia continuis illis proeliorum caſibus eripiatis quam primum: ut, victoria recte utentes, glorioſum ſtatuatis felicitati veſtrae modum, & pulchro, dum licet, fine componatis omnia, ne mox varia illa & infida vos belli ludificetur alea, quantoque extulit altius, tanto graviore dejiciat lapſu. Creditis Fortunam minus vobis ſecundam, aut minus aequam? Arripite igitur primam quamque occaſionem ponendi arma infeliciter tentata, ne, ſi perſeveretis obſtinata reluctari contumacia, irritabilis illa Dea contemni ſe ſuamque arbitretur iram, & gravioribus vos obruat cladibus. Etiam Hannibal petiit Pacem, ſuiſque Carthaginienſibus, ut eam durioribus licet legibus acciperent, auctor fuit. Et quid mirum? Pax enimvero victis eſt neceſſaria, victoribus pulchra: illa etiam fatigatis utrimque honeſta eſt & utilis: illa Humano eſt generi deſiderata ſemper & ſalutaris. Eam ergo & Vos, Chriſtiani Principes, colite, ac omnibus ducite potiorem Triumphis. Satis jam dudum, immo plus ſatis, eſt Bello datum: ſatis gloriae, ſi quae ex eo oritur, vobis partum. Amplum tibi, Gallia, & ſpecioſum ſatis eſt, tot hoſtes undique immi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

imminentes & repetentes ſua ſuſtinuiſſe ſolam Te tamdiu, prohibuiſſe eos tuis finibus ac littoribus, excluſiſſe portubus atque urbibus, nulla uſquam parte imminutam. Quid ſperes, quid poſtules amplius, quam ex tot Te rerum diſcriminibus emergere ſalvam plane & incolumem, quam Pacem te aſſequi minime iniquam, dum tuas in ditiones necdum penetravit quiſquam, & ipſa adhuc incedis ſpoliis hoſtium tuorum ornata? Neque minus glorioſum vobis, Foederati Principes, cupiditati Gallicae impoſuiſſe tandem fibulam, coegiſſe eam in ordinem & priſtinos limites, extorſiſſe praedam, cui incubabat jam diu, & pactionibus recuperaſſe univerſos, quae hoc & ſuperioribus bellis, immo & media nuper in pace, partim vi, partim dolo, ſingulis Illa ademerat. Quid eſt, quod deſideretis & Vos amplius ad famam veſtrae virtutis poſteritati prodendam? Proſperi utique bellorum exitus probant maxime heroica Principum acta. Res armis bene geſtas declarat ipſa Pax, ſed pulchra, & data potius, quam accepta.

Si veram intuemini laudem, quae omnium vigeat ſeculorum memoria, in hoc elaborandum nunc vobis eſt, ut, quicquid reliquum Martis fecit ſaevitia, praeſtetis ſalvum: ut, quae perculſa paſſim jacent ac proſtrata furore militum, vindicetis ab interitu: ut certa denique pace excitetis omnia, & Chriſtianorum denuo conſtituatis rempublicam. Hoc, hoc illud eſt, quod curandum Vobis reſtat, quo demereri poteſtis genus humanum, quo veros, non dicam, Civium Principes, ſed Patriae vos declarabitis Patres. Inclaruiſtis Bello; reliquum eſt, ut Pacis etiam artibus illuſtrari velitis, quas omnibus veſtris tropaeis ac victoriis longe praeferent ſemper cultiores cunctarum gentium linguae ac ſtyli. Si mihi non creditis, credite rebus ipſis, credite Deorum Hominumque judiciis. Quum de No-

Nomine Athenienſibus dando, ut in priſcis legitur fabulis, Neptunus & Minerva Deorum in concilio contenderent, & certatim ſe commendarent, Ille producendo in Belli uſus Equo, aſt Oleâ, copioſae Pacis inſigni, & fructu praecipuo, Minerva, omnibus Huic ſententiis adjudicarunt Dii Vrbem Graeciae ampliſſimam, liquido ita, quantopere Bello & ipſi Pacem & Pacis bona antehaberent, oſtendiſſe crediti. Quid ipſos cenſetis Principes, etiam laureis redimitos? Quidquamne ſibi glorioſius duxit Auguſtus Caeſar, quam, otio terra marique parto, Janum potuiſſe Geminum cludere? Ejuſque rei monumentum ut exſtaret perpetuum, nonne Inſcriptionibus eam lapidum ac nummorum celebravit ſtudioſiſſime, & ſempiternae commendavit memoriae? Immo vero tantum Ille afuit, confirmata jam aetate, à teterrima iſta lubidine, quoquo modo imperium vel bellicam augendi gloriam, ut nulli deinceps genti niſi neceſſaria intulerit arma, & Barbaros potius, quam laceſſeret, jurare coegerit ad Martis Vltoris aram, manſuros in fide & pace, quam peterent. Quid de Veſpaſiano dicam, illo Judaeorum domitore? Nonne & is, quae ſua eſſet animi ſententia, abunde declaravit, dum Bella, quae proſpere tamen privato ceſſerant, Princeps nulla geſſit, at Paci etiam templum publice condidit? Et quis hodie, non iniquus aut ineptus rerum hominumque aeſtimator, non multo ſtatuat majus pretium laudibus Numae Pompilii, Anci Marcii, Servii Tullii, Regum Romanorum, qui ſacra & cerimonias, qui feciale jus, qui cenſum, claſſes, & praecipua Populi comitia inſtituerunt, quam ipſius Romuli, Tulli Hoſtilii, Tarquinii Priſci, qui vel ſolis, vel potiſſimum bellicis fuerunt artibus egregii? Ecquis eſt, qui non palam anteponat bellatoribus Auguſtis, Aure-

liano,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

liano, Septimio Severo, ipſi Trajano, Principi licet Optimo, placidum illud & pacatum Antonini Pii ingenium? Certe olim praecipuus Populi Romani fuit amor & deliciae: quin immo Nomen ejus adeo tunc manſit etiam poſteris venerabile, ut certatim proximi quique Caeſares ornare ſe eo potiſſimum & commendare ſuis civibus ſtuduerint. Sed quid Ego ſupervacuam hanc ſumo operam, ut Pacem Vobis laudem, quam laudant omnes, quam Deus Opt. Max. paſſim praecipit, quam Servator Hominum, Jeſus Chriſtus, ab Angelis in ortu ſuo praedicari voluit, quam denique Vos ipſi ore ſemper habetis promptam, & cujus unius retinendae vel recuperandae cauſa cepiſſe arma pariter jactatis. Facite ergo, ne aliud pectore geratis clauſum, quam praefertis ore, neu, quam verbis inire veſtris à civibus quaeritis gratiam, rebus ipſis parum comprobetis. Facite, redeat Orbi Chriſtiano quies & tranquillitas, redeat terris cultus & affluentia annonae, redeant ſua mari commercia, foro fides, auctoritas legibus, Muſis his ipſis frequentia. Cephiſodotus Athenienſis finxit olim Pacis effigiem, quae Plutum, divitiarum Deum, quaſi puerum, ſinu fovebat. Facite Vos, ut duplici hoc munere, ſuaviſſima ſimul Pace, &, quae eam quaſi Matrem continuo ſequitur, cunctarum rerum Abundantia, mactetis, quod in vobis eſt, & ornetis denuo Europam. Ita Vobis omnia bona dicent omnes boni, ita fauſtis veſtram ſalutem majeſtatemque proſequentur ominibus, ita ſumma, ita immortalis Vos gloria, quae nonniſi ex benefica virtute, & veris in genus humanum meritis naſcitur, in coelum feret, & Diis faciet proximos. Proſpicite, ſultis, veſtris illis ex arcibus aut palatiis, ac videte, quam laeto ubivis, quam denſo obviorum agmine excipiantur, quos ad Pacem inter vos miſiſtis conciliandam: quibus illi

ſalu-

ſalutentur paſſim ſtudiis & acclamationibus : quo deducantur plauſu : quibus dimittantur votis. Exaudite etiam atque animum advertite, quas jam nunc Vobis omnes ubique agamus gratias, quibus Vos celebremus praeconiis, quibus gratulationibus, quod pulcherrimum nobis quaſi ſignum ad bene ſperandum de nomine Chriſtiano ſuſtuliſtis, quando ad publicum hoc pacificationis concilium deſtinaviſtis lectiſſima ſuae quemque patriae decora, Viros honoribus domi foriſque praeclare geſtis excellentiſſimos, & quales potiſsimum ad tentandas pacis vias, arduum illud & maximi profecto momenti negotium, legari oportebat.

Felices, felices plane Batavos: Felices maxime Hagam & Delphos, quæ magnos hos Hoſpites, quaſi publica quaedam coeli munera, inter ſe diviſerunt: quae tot Variarum Gentium Ornamenta, tot Heroas, non horrida illa aut cruenta virtute, ſed pacifica, ſed ſalutari, conſpicuos ſolae jam poſsident. O quam, quantamve nunc memorem Te potiſſimum, Haga, quae deinceps, ut laetis ominamur precationibus, EVROPAEAE PACIS appellaberis MATER, itura hoc Nomine in Annales, converſura in Te oculos animumque ſerae etiam poſteritatis. Illa etenim Te intuebitur, venerabitur, praedicabit, Auguſtam Sedem non Majeſtatis modo Batavicae, ſed & Chriſtianae, Sedem ſplendidiſſimarum Legationum, Sedem immo Felicitatis & Securitatis Publicae, tuo ex ſinu in omnes melioris Orbis partes ſparſae.

Vos modo, Perilluſtres Legati, quibus Reges, quibus Populi, ſua crediderunt deſideria, ne, quaeſo, ne deſtituite noſtras ſpes, ne fallite communem omnium exſpectationem. Contendite ad comprimendas bellorum furias tanto enixius, quanto magis ad ſummam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

multarum gentium ſalutem, & veſtram ipſorum gloriam pulcherrima haec diſceptatio pertinet. Date etiam operam, ne lentum, neu longae procraſtinationis ſit negotium, res omnium deſideratiſsima. Nolite, obſecro, diem ex die ducere, nolite quaeſitis cavillationum moris differre aut fruſtrari in longum noſtra cunctorum gaudia. Cavete inprimis, ne re diſcedatis infecta, neu irrita per vos cadant tot miſerorum vota. Nam quid vobis tandem foret magis indecorum, quid magis turpe, quam vel minima veſtra culpa, non dicam, innumeros nunc Homines, ſed Nationes integras, in maximis relinqui malis, & loco remedii in ultimam à vobis conjici deſperationem, paciſque, tandem tamen faciendae aliquando, gloriam in alios tranſcribi? At contra ſi veſtro potiſſimum conſilio, ſtudio, opera, Pacem nunc obtineat Europa, ſed Pacem, quae nihil ſtruat inſidiarum & fraudis, quae non novas mox ſerat lites, aut exſtincta parum fideliter bellorum incendia de integro ſtatim excitet, tunc enimvero per totum terrarum Orbem veſtra cantabuntur nomina: tunc veſtra illa merita publicis literis monumentiſque in multam propagabuntur memoriam, quam nulla unquam obſcurare poterit oblivio, nulla temporis delere longinquitas.

Hoc feretis omnes, hoc ſinguli, pacis per Vos factae pretium, & tanto quidem amplius ac luculentius, quanto eam ſtudioſius nunc curaveritis. Hoc immo feretis, praecipuo veſtro merito, Vos praeſertim, Sapientiſsimi Reip. noſtrae Legati, Triumviri, ferme dixerim, conſtituendae Europae, & pangendo inter tot Gentes foederi. Vos certe ii eſtis, qui intercluſam quodam modo viam ad Pacem aperuiſtis primi, qui etiam nunc facitis ingens tantae deliberationis momentum. Vobis

quam

quam plurimum debere jam fatemur ultro Batavi, fatebuntur mox foederati omnes. Veſtram enim in fidem, curam, ac prudentiam, dum ſuas Patria noſtra permiſit rationes, permiſit ſimul ſpem ſalutis publicae, fata gentium, fines regionum. Hoc itaque agite, Viri Illuſtres, agite magnis animis, quod agendum ſuſcepiſtis, & quantum aliis in artibus praevertitis alios, tantum in illa maximarum rerum mole exſuperare vos etiam ipſos contendite.

Sed brevi haud dubie confecta haberemus omnia, ſi pari vobis animo præditi forent etiam illi, quibuſcum res eſt, aut, quoniam illorum quoque voluntas vix quidquam poteſt, niſi Principum ſuorum accedat auctoritas, ſi ergo Hi potiſſimum pari vobis ſtudio vellent conſultum publicae Paci, & ſuae ſimul Tranquillitati: quae ſola vitam utique in his terris facit beatiſſimam, & quam Veterum certe Philoſophorum multi haud dubie ſummum eſſe cenſebant humanæ imbecillitatis bonum. Quod utinam ſentirent idem, quiqui ſunt hodie Populorum ac Gentium Principes! Aequabilius profecto & felicius longe humanæ ſe res haberent. Verum illi maximo, eheu! ſuo noſtroque malo in contraria plerique abeunt omnia, &, ampliſſima licet Regna ſuis ſubjecta imperiis poſſideant, ſemper tamen quaerentes plura, angi malunt perpetua ſolicitudine, & incertis jactari armorum caſibus, quam ſecura frui & placida quiete. At quanta, Principes, quanta tandem dementia veſtros cepit animos, veſtraſque ipſorum conturbat rationes? quam dira vos agitat ambitionis inſania, mutuam ſemper meditantes perniciem? Quis furor eſt, alternis dare ſanguinem, & in bella coeco rapi impetu: ruere ferarum more in promiſcuas hominum caedes, quos vidiſtis nunquam, nunquam noviſtis: ſaevire in excidia

Vrbium innocentiſſimarum; atque omnia ubivis in veſtrum concitare odium & injuriarum vindictam? Hoccine vobis Humanum, hoc jucundum eſt aut Beatum? Haec veſtra eſt Regia illa Majeſtas & praecipua prae aliis Fortuna? Immo vero ille demum Rex eſt, ille ipſorum quoque Rex Regum, qui pectus gerens ſeptemplice virtutis ſcuto munitum, nihil timet, nihil cupit, qui infra ſe dejectos habet omnes affectus, & foeda libidinum vitia, quem dulcis ſaturat bonae mentis quies ſemper tranquillum, ſemper hilarem. Ille inſuper Patriae quoque ſuae eſt Parens, qui nullo armorum ſtrepitu circumdatus aequa dat civibus jura, qui neminem laedens ſibi ac ſuis tutum præbet otium. Ille denique Populorum etiam verus & fidus eſt Paſtor, qui bellum pro iis gerendum nec metuit, nec optat, qui non provocat, non quaerit ultro, pugnandi cauſas, ſed nec refugit ſuis etiam periculis publicam aſſerere ſalutem, ſi ab aliis illa infeſtetur. Haec enimvero Beati ſunt Principis, haec Legitimi Regis; Haec ille Regno debet, haec ſibi, ſuaeque Magnitudini. Aſt quorum ſollicita ſemper cupiditas ipſo terrarum Orbe eſt major, qui in pace cogitant bellum, in bello quaerunt rapiendi ſaeviendique materiam, non poteſt, quin ſaepe & ipſi deprehendantur à Fortuna, quaſi inter ſacrum, ut dicitur, & ſaxum poſiti, vel certe ſuſpenſa exſpectatione rerum geſtarum in tanta communis Martis viciſſitudine diſcrucient identidem ſe ipſi, & vario exterritum metu circumferant pectus. Nec enim ignorare queunt, fuiſſe & alios non paucos, qui occoecati itidem ſpe latioris imperii fortunas ſuas omnes in dubios bellorum caſus temere datas ſubito perdiderint. Fateor equidem, ſervare nunc illos ſuum ſibi diadema plerumque immotum & integrum, ſed tamen maxi-

mo vel ſic cum metu hoſtium, cum conſternationibus vulgi, cum querelis publicis, conflictentur ſaepius, neceſſe eſt, qui ita laeti atque alacres aliorum vaſtant agros, exſcinduntve Vrbes, quum mox eadem ferme in ſuis viciſſim experiantur finibus, & tanto quidem gravius, quanto ſaeviunt magis, qui ſuas ſaeviendo ulciſcuntur clades. Quin, ſi jam impune etiam fecerint omnia, ſi maxime intaminatis plane redeant victoriis conſpicui, reportant ſuas tamen laureas ad populum tributis & collationibus exhauſtum, inopia maceratum, rebus ſuis deſperantem, multo denique funeſtum luctu fortiſſimorum civium, qui iſtos ſanguine ſuo redemerunt triumphos. Quum Hannibal Romanos ad Ticinum, ad Trebiam, ad Thraſymenum, ad Cannas denique viciſſet, nihilo tamen minus fratrem ille miſit Carthaginem, qui oſtentaret quidem prius victoriarum magnitudinem, ſed mox pecuniam quoque poſtularet in ſtipendium, & novos ſimul milites in ſupplementum exercitus etiam vincendo imminuti? Quid? quotieſcunque Vos ipſi praeclaram expugnaſtis Vrbem, vel ex acie diſceſſiſtis ſuperiores, redite, obſecro vos, in memoriam, quot ceciderint tunc ſemper illuſtria veſtrae quoque pubis decora, quaſi piaculares quaedam publici furoris victimae, quot immo fluxerint ſanguinis rivi, quas etiam Aerarii undecunque dein iterum explendi copias oportuerit effundi.

At vero defecit jam ubique & concidit tandem praecipuus ille belli nervus: gliſcunt quotannis onera populorum, gliſcunt vectigalia, nec tamen ſufficiunt ſumptibus plane immenſis, in tot tantoſque erogandis ſemper exercitus. Exhauſta eſt etiam militaris aetas, nec reperiuntur amplius tirones, qui ſacramento

to adigi queant, aut veteranorum excipiant vicem. Videlicet dirutae jacent paſſim Vrbes, Regiones vaſtatae: Gentes integrae ſe circumſpiciunt, ſuamque paucitatem, licet cauſas ejus ſatis intelligant, nihilo tamen minus ſtupent. O utinam veſtros ipſi quoquo verſus circumferretis oculos, veſtriſque animis ſubjiceretis foedas armorum clades! Videretis hic triſtia oppidorum buſta & rudera, illic dominantia cultiſſimis nuper in agris lolia. Inveniretis paſſim homines extorres, in latibulis & ſpeluncis, in ſylvis & ſaltibus aſperrimam ferarum inſtar trahentes vitam. Animadverteretis ubique dira militaris violentiae veſtigia, quae ſanctum habet nihil, nihil ſinit intemeratum, quæ nullo diſcrimine, veneranda priſcæ artis aut ultimae antiquitatis monumenta, etiam Palatia & Mauſolea Principum, ipſa immo Templa Deo dicata, barbaro plane impetu dejicit paſſim & evertit.

Quid ceſſatis, Reges, quid ceſſatis Vos, qui ſoli poteſtis, obviam tantis ire malis, & Pacem veſtris dare temporibus, dum ſupereſt aliquid, quod Martia vis nondum perculit, & proſtravit penitus. Supplicat vobis, ad pedes abjecta, veſtramque implorat fidem Europa omnis, ſanguine & cineribus incendiorum oblita, ut hiſce ſe malis ereptam in priſtinam reſtituatis ſpeciem, aut incolumitatem. Addunt ſe Oranti comites tot miſerrimorum Hominum Millia, qui domo profugi, enecti fame, omnibus obruti calamitatibus, inopiam & naufragia fortunarum ſuarum ipſo produnt aſpectu, voſque per omnia obteſtantur ſacra, ut ſibi reddatis publicos privatoſque penates, victum, vitamque ipſam: nec enim Vita illa eſt, quam trahunt, ſed continua aerumnarum ſeries & ſenſus. Supinas etiam manus ipſae vobis tendunt Vrbes, in ignem datae, & in ferarum verſae

ſae

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

ſae luſtra, ipſi Agri, incultu & ſolitudine ſqualidi, ut deterſa hac illuvie, depulſa ſterilitate, ſuos ſibi redire velitis incolas, ſuas ſegetes, ſuum nitorem. Veſtri immo ſingulorum Cives, graviora jam dudum, quam ferre ſe poſſe crediderant, paſſi, ſive ipſi ſuis in terris illas bellorum experti ſint calamitates, ſive multiplicatis ubique oneribus, atque immanibus tributorum exactionibus, aliis ſuper alias, afflicti, & ad egeſtatem jam adacti, Pacem vos poſcunt omnes, & ſubmiſſis efflagitant precibus. Date ergo pietati, date fidei veſtrae, quod ipſi dandum eſt neceſſitati. Date miſeris, date ſupplicibus, quod certa vos jam cogit rei nummariae difficultas.

Da, Ludovice, deſideriis, da clamoribus populi tui, quod hominum equorumque penuria, quod expediendorum tibi tot ſemper ſtipendiorum inopia, cunctanti mox tamen extorquebit. Reſpice deſolatas etiam tuae ditionis terras, licet hoſtem non ſenſerint. Reſpice ſuccumbentes jamdudum ſub immani illa vectigalium mole tuos maxime cujuſcunque ordinis & generis Cives. Pone tandem feroces illos ſpiritus, quibus orbem terrarum affectas, ſpiritus enimvero magnos potius, quam utiles iis, quorum recepiſti tutelam. Dele inprimis ex animo ſplendida illa Alexandri Macedonis latrocinia, quae neque facultatem nunc habent, neque vero Regis Chriſtianiſſimi quicquam. Sunt in Majoribus tuis, ſunt immo ipſis in Ludovicis, ad quorum Te exemplar rectius formes & componas. Reminiſcere Ludovici, ſeu PII, ſeu BONI, Reminiſcere SANCTI, Reminiſcere immo DUODECIMI illius, quem *Patrem Patriae* non ambitioſa dixit adulatio, ſed una omnium vox, unus animorum ſenſus. Illum an putas tanto ornatum Populi judicio, Populi, inquam, rapinis & manubiis expilati,

Re-

Regiiſve expeditionibus ad inopiam adacti & paucitatem? Immo vero nihil Ille antiquius duxit, nihil magis ſibi curae habuit cordique, quam ut plebem vectigalium, Proceres ſtipendiorum, levaret oneribus, ut omnes & ſingulos pro cujuſque ordine rei familiaris expleret affluentia, ut Galliae ſuae opulentiam, ſplendorem, & invidendam aliis fortunam conciliaret, atque ita optimi omnium ſtatus ſuis eſſet, ac diceretur, Auctor. His demum artibus effecit Ille, ut univerſo à Populo geſtaretur in ſinu, manibus, oculis, quam ſtudioſiſſime: His iſta Civium ſuorum meritus eſt judicia ac praeconia: His per reliquas quoque Chriſtiani orbis Gentes incredibilem ſibi comparavit laudem ac venerationem, eamque in omnia ſimul propagavit ſecula. Habes in eo, Ludovice, ſi quaeris, perfectiſſimum Patriae feliciter regendae exemplar, quod ſi minus aſſequi, aut exaequare poſſis, intueri tamen potiſſimum & imitari velle debebas. Quare age, adhibe illud vel maxime in conſilium, illud tibi propone, quod prae caeteris, prae illo certe Alexandreo, ſequaris unice. Sic erit, ut remiſſis tandem tot novorum vectigalium commentis, quorum alia mox aliis gravioribus obliterari ſolent, reſtinguas lachrymas tuorum ſub iniquo illo onere ſuſpirantium: utque conſulens ſaluti publicae, ac tuae tranquillitati, facias Pacem, tibi decoram, Regno tuo ſalutarem prorſus & neceſſariam.

Vos vero, Auſtriaci Principes, qui ſoli priſtinam tantae Domus ſuſtinetis gloriam, quid multis Ego argumentis, aut exquiſita excitem oratione, ad fovendas denuo Pacis artes, quum nihil magis veſtrae fuerit familiae ab ultima ejus origine proprium, nec quidquam vobis evenerit magis fructuoſum, quam ſedulo eas coluiſſe, & bellicis antetuliſſe tumultibus? Repetite, ſi vultis, ex annalibus priſcis Gentis veſtrae fata à primo

ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

ejus progenitore, Rodulpho Hapsburgenſi, uſque. Maluit ille, & feliciter prorſus, Germanicum potius regnum, cum maxime turbatiſſimum, ſibi firmare ſolum, affinitatum vinculis & tranquillae poſſeſſionis praeſidio, quam ſuum etiam in rebellem ſemper Italiam exſequi jus, & ſic omnia pariter in incertam bellorum mittere aleam. Revocate Vobis in memoriam etiam alterum illum Auſtriacae Majeſtatis conditorem, Fridericum III. Nam quibus aliis & Iſte artibus, quibus ſtudiis, niſi pacis & otii, jecit praecipua illa veſtrae deinceps Magnitudinis fundamenta? Neque vero, ſi reliquam Majorum veſtrorum percenſeatis ſeriem, facile reperietis quenquam, qui per bella maluerit inclareſcere, aut cui feliciter illa ceſſerint. Ipſum illum Carolum, quem Vobis largimur bellicoſiſſimum ſane Principem, Fortuna tamen ad extremum deſtituit, tantaque affecit belligerandi ſatietate atque odio, ut omni ſe tandem imperio abdicaverit, & in vitam abdiderit otioſam plane ac ſolitariam. At ſi jam tot Regna, tot Populos, Aquilis Veſtris ſubjectos, cogitando perluſtretis, agnoſcetis, opinor, vix quidquam, praeter Mediolanenſem, Geldricumque Principatum, veſtro contineri Imperio, quod non matrimoniis, aliiſve pactionibus, magis, quam armorum violentia, in veſtram conceſſerit ditionem. Nolite igitur, Sereniſſimi Principes, tuque inprimis, Leopolde Auguſte, noli obſecro deſciſcere ab hac propria Auſtriacorum laude, ab iſtis, inquam, Pacis Artibus, quae tam feliciter Majoribus Tuis ceſſerunt. Neque vero deſciviſti unquam, quin potius arma etiam hoc in Bello cepiſti invitus, & eo tantum animo, ut obviam Gallicae ires cupiditati. At, repreſſa jam ea, & in juſtos tandem coërcita fines, ecquid ergo facere nunc queas magis dignum Tuis, Avorumque tuorum, inſtitutis? quam reſtituta Pace

ſubvenire afflicto uſquequaque Chriſtiano nomini; cui ſubveniſſe Tuum vel praecipue debebat eſſe decus, quippe quem Principem illi dedit ſummus rerum humanarum Arbiter. Cogita Germaniam tuam, depopulationibus & incendiis miſerrime habitam, ſuique paſſim diſſimilem. Cogita Rhenum, non jam adjacentis agri ubertate, non Vrbium magnificentia, ſupra alios Europae fluvios ſe amplius efferentem, ſed demiſſo capite per vaſtas utrimque terras, inter triſtes oppidorum reliquias & parietinas arcium ſuas nunc praecipitantem aquas. Si bellandum eſt amplius, ſatis habes perduellium in Turcis, qui Regnis tuis finitimi Hungariae graves adhuc incubant, qui ipſi ſemper imminent Germaniae, qui liberalibus ſtudiis, qui diſciplinis omnibus, divinis aeque ac humanis, interitum minantur funditus. Cum his ſolis aeternum Tibi ſit bellum & inexpiabile: His ſolis tua infer ſigna, tuas Aquilas, Hoſtibus ſatis ſuperque idoneis, quibus ſuſtinendis, nedum ex Europa expellendis penitus, vix Ipſe, vix Alius quiſquam Chriſtianorum Vnus par eſt aut ſufficit. Vide etiam atque etiam, ne periculoſum ſit nimis, diverſis adeo armis, ſimul à fronte & abs tergo, diſtringi, atque ad dividendas in utrumque adigi vires, quas rectius in Barbarum converteres integras. Id facere, & omni opum vi incumbere in illum unum ut queas, dede te, Caeſar Auguſte, dede te Paci inter Chriſtianos pangendae, quam Tuae ipſius poſtulant rationes, quam Tua Te rogat Germania precibus enixiſſimis, quam omnes denique Te poſcimus Foederatae Europae Populi.

Verum nihil aeque in ſpem ac fiduciam pene certam nos erigit, quam Tua Voluntas, Tuaque Virtus, Magnanime VILHELME, Stator Britannicae, Stator im-

mo

mo Europaeae Libertatis. Vnus certe es omnium, quem malis late graſſantibus oppoſuerunt nunc fata: Ille etiam, qui gravisſimam cupiditati Gentis potentisſimae impegiſti ſecurim, dum implorantibus Te, ſuarum Legum Cerimoniarumque Vindicem, Tribus Regnis affulſiſti prorſus quaſi ſalutare aliquod ſidus, eaque in priſtinam benefica manu aſſeruiſti dignitatem, & ſimul ab leonina illa, vicinae Gentis, abduxiſti ſocietate. Quid jam de eo dicam, quod per Te Vnum hoc tempore relata quoque vidimus, quæ tantum legebantur, & vix fidem amplius inveniebant, Regiae Fortitudinis exempla? Ecquis enim nunc alius ſuos ita in hoſtem ipſe ducit? ecquis ita cominus congreditur & manum conſerit cum perduellibus, ruitque per ignes, per tela, aeque intrepidus? Ecquis immo Caput, pro gentium ſuae fidei permiſſarum ſalute, ita objicit periculis, iiſque haud unius generis? Nec enim proeliorum modo variis te caſibus identidem maximo ingeris animo, ſed & ipſa quotannis bella petis per fluctuum & tempeſtatum diſcrimina, utque pericula ſubeas armorum & terrae, periclitaris prius mari. O incredibilem inuſitatae nunc Virtutis conſtantiam! O praeclarum, O ſingulare illud bene de populis ſuis, bene immo de genere humano, merendi ſtudium! Hoc enimvero eſt Regem agere: Hoc, impendere ſe & devovere ſaluti publicae: Hoc denique eſt bellum gerere, quo oportebat modo atque animo, tuendo ſuos, ſuccurrendo afflictis, ingruentem ſubmovendo hoſtem. Tanta hae Tua eſt, Tibique propria adeo, laus, Maxime VILHELME, ut ad Tuum hoc exemplar ſuos quoque Principes exactura olim ſit univerſa Poſteritas, & ſicut Romani quondam Caeſaribus adclamabant novis, ut Meliores eſſent Trajano, Feliciores Auguſto, ſic uni VILHELMO

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

MO ſimiles tantum Reges ſibi ſit poſtulatura. Cæterum ſi noſtra admittis, Rex Inclute, non tam conſilia, quam vota: ſatis jam iſti datum videtur laudi, ſatis jam diu, exantlandis laboribus bellicis, ſerviiſti cauſæ & exiſtimationi publicae. Tempus eſt, huic tandem Virtuti ſuum quoque imponere modum, &, ut certius conſulas tuis, conſulere etiam Tibi, ac ſubtrahere Te tot circumſtantibus undique periculis, in quibus Tecum noſtrae omnium periclitantur fortunae. Sed & nihil Tibi ad perfectiſſimam ſupereſt gloriam, niſi ut Tua nunc tuearis beneficia, & proſpicias populis, quos bello ſervaſti, in longitudinem, obſeratis tandem, quae patent nimium quantum, Jani foribus, ac reſtituta orbi terrarum ſecuritate placida. Sic certiſſimo declarabis argumento, victorias abs Te quaeſitas, non tam, quia utiles Tibi aut glorioſæ, quam quia foederatis erant gentibus neceſſariae. Id unum ergo eſt, poſt tot res praeclare geſtas, quod abs Te etiamnum deſiderant omnes, quem pacis bellique arbitria inter Chriſtianos, ſi velis, agere poſſe, ſibi perſuaſerunt. Quod utcunque ſit, majorem certe fructum tot laborum periculorumque capere nullum potes, quam ſi, poſtquam eo redegiſti hoſtem, ut arma ponere tuto jam liceat, tuo nunc munere revocentur quoque Vrbes & Agri in quietem priſtinam, aperiatur commerciis liber terrarum mariumque uſus, & floreant iterum omnia ubivis opulentâ & copioſâ Pace. Hanc tuo potiſſimum Marte partam ſi donaveris Europae, & magnificis illis laureis non minus illuſtrem addideris inſuper olivam, tunc utique in diſcrimine erit maximo & præſens & poſtera aetas, utrum pacis Te praedicet an belli meritis majorem; certe infinitis Te in coelum ferent omnes laudibus, & tanta colent pariter veneratione,

tione, quantam nulla ingenii ubertas, nullum orationis flumen, ſatis dicendo exprimere aut explicare queat. Faxit Deus ille Opt. Max. cujus unius in manu & ſolo nutu plane ſunt omnia, ut Tuus in has oras adventus, ſicut ſaepe alias rebus optime geſtis felix communi foederatorum cauſae & fauſtus maxime exſtitit, ita nunc Orbi terrarum iſtis motibus concuſſo, conciliata pace, ſalutaris eveniat. Addat Ille eum Tuis armis terrorem, fortunam conſiliis, majeſtati auctoritatem, ut deſperantes de ſuis rebus hoſtes bona tandem fide in aequum & aeternum foedus ultro praebeant manus, ut ſuſpenſis ac relegatis utrimque in ſacellorum parietes ſcutis teliſque, ferale illud claſſicum in perpetuum damnetur ſilentium, ac omnibus ubique bellorum odiis exſtinctis, deletiſque veſtigiis ipſis, coaleſcant in ſocietatem atque amicitiam animi Principum illorum, qui in Chriſti, Pacifici vere Regis, nomen & verba pariter ſacramento ſunt rogati.

O ita velis, ita faxis, Benigniſſime Deus! Reſpice terras propitius, & quidquid bellorum furor praetermiſit inviolatum, ſerva, quaeſo, ſi minus nobis, noſtrae ergo poſteritati. Miſerere generis Humani, ductu Principum ſuorum in mutuum paſsim ruentis exſcidium, & in ſua ipſius ſaevientis viſcera. Compeſce funeſtos hos tumultus, atque ad ſalutem noſtram converte. Da iis, qui inter Nos ubivis rerum potiuntur, animum non abhorrentem à conſiliis quietis. Exſtingue in illis, qui aliorum ſubinde inſidiantur vel libertati vel finibus, ambitionem, cupiditatem, & quaequae triſtium nobis bellorum ſunt ſemina. Interpone tuum nunc Numen in iſtam praeſertim pacificationem, in cujus felicem exitum tibi certatim vota nuncupamus quamplurima. Explica omnes iſtic nodos publicae felicitatis. Depelle procul fal-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

laces captionum laqueos, fraudum praeſtigias, atque ipſas callidarum tergiverſationum malas artes. Tolle penitus, quicquid morari valet aut fruſtrari noſtra gaudia. Fac in mutua quamprimum coëant foedera omnium dextrae. Fac redeat Terris ubertas & incolarum frequentia, Hominibus facilis vitae oblectatio. Fac, ſepultis quantocyus bellorum reliquiis, effloreſcat denuo Alma Pax, & omnia reſtituat in integrum. Sic cerimoniis quoque Tuis redibit caſta animorum religio: ſic vota Tibi, quae fecimus dudum ſolliciti, laetiſsimis tandem ſolvemus animis: ſic Tuam benignitatem, à qua demum omnia in nos proficiſci agnoſcimus bona, celebrabimus & ipſi, & noſtris quoque dabimus celebrandam poſteris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 L 279